DE EMENDANDO

CICERONIS ORATORE AD M. BRUTUM.

DE EMENDANDO

CICERONIS ORATORE AD M. BRUTUM.

SCRIPSIT

IOH. BAKE.

LUGDUNI-BATAVORUM,
E. J. BRILL,
1856.

DE EMENDANDO

CICERONIS ORATORE AD M. BRUTUM.



Prooemium.

Quum cogitarem aliquid explicare quo commendarem bonarum artium amantibus diligentissimum Tullianae orationis studium, fieri posse videbam ut hoc consilium in varias multorum reprehensiones incideret. Erunt enim qui mihi tritum istud obiiciant, »quis eum vituperavit?" Quos tamen meminisse oportebat, quamquam innumerabiles et hodie sunt, et olim fuerunt, qui ingentibus laudibus Ciceronis facundiam celebrarent, tamen ipsius aetate iam complures exstitisse, qui non tantum eo dicendi genere minus delectarentur, sed idem multis de causis reprehenderent: cuius rei

confirmandae laborem levavit mihi Bernhardius, vir acutissimus [1]). Rursus alii orientur, qui adeo pervulgatam esse famam illius eloquentiae contendant, ut nemo fere sit quin vehementer admiretur, in eamque tamquam perfectam oratoris effigiem intueatur. Est ita: et sane stolidus viderer si toties decantatas laudes, quibus illae oratoriae virtutes celebrantur partim ab intelligentibus iudicibus, nonnumquam etiam ab iis qui nihil in eo genere ipsi vel sentire vel efficere valent, iterum explicare susciperem. Aliud spectabam, praecipueque id, quod Caesar de Cicerone, ad ipsum scribens, iudicaverat, quum diceret eum principem atque inventorem esse eius copiae, cui qui studerent, cogitata praeclare eloqui possent; quumque non dubitaret affirmare verborum delectum originem esse eloquentiae. Quid, quod ipse Cicero pronunciat, solum et quasi fundamentum oratoris esse locutionem emendatam et Latinam [2]). Sunt sane aliae dotes orationis, quas qui in dicendo affert, is demum admirabilem eloquentiam efficiat: sed ubi ista fuse persequitur et egregiis praeceptis informat Cicero, oratorem potissimum quaerit vel forensem, vel eum qui delectationem magis et aurium

---

[1]) G. Bernhardy. Grundriss der Römischen Literatur. Erste Abth. p. 230. ed. 3a.

[2]) Brut. 252 sq. et 258.

voluptatem spectat. Hinc, quum Crassus explicandum suscepisset quinam esset dicendi modus, et postulavisset ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcumque ageretur, apte congruenterque diceretur, non haeret in duobus illis prioribus, Latine planeque dicendi, sed properat ad reliqua, quibus omnis, inquit, admiratio ingenii, omnis laus eloquentiae continetur. Pauca tamen, quae monet, non tantum sunt ipsa gravissima, sed continere mihi videntur aequalium reprehensionem et castigationem communis cuiusdam vel inscitiae, vel negligentiae [3]). Et haud scio an ipse Cicero primus fuerit qui illam Latine loquendi facultatem et ingenio et ratione consecutus sit, quique eius disciplinam constituerit et reliquerit aliis exemplum. Quod si quis quaerit quo iure hunc principatum et tantae rei auctoritatem ei vindicem, quum ea multorum scripta perierint, quae fortasse cum Tullianis voluminibus comparanda essent, non defungar illo Caesaris testimonio, quod modo commemorabam, sed utar iis rationibus quae cum rei natura coniunctae sunt.

Omittimus poesin et poetas, quibus, si modo numeros servarent, liberiora omnia concedebantur, quorumque sermo, verbi causa Comicorum, nonnumquam propius accedere videbatur ad quotidianum

---

3) Conf. De Oratore III. § 37—52.

usum. Nobis spectanda est ea oratio, qua in vitae actione et negotiis homines utuntur. Hanc nusquam excultam et perfectam esse contendimus, nisi ubi cognitum esset quantum praestaret certas servare sermonis leges, tum in singulis verbis eorumque flexionibus, tum in ea verborum coniunctione qua mentis cogitata essent exponenda. Sed hoc ipsum studium ab iis demum excitari et retineri potuit, qui scribendo eius vel artificii, vel facultatis periculum facerent, itaque monumenta conderent eius ingenii, quod in oratione soluta quidem, sed arte et cum delectu facta, cernitur. Igitur Athenis admirabilis illa diligentia Graecae linguae serio coli coepta est non ante, quam rhetorum scholae, et mox philosophorum, illam disserendi et eloquendi exercitationem instituissent, itaque prodiissent illae literae, quibus ostenderetur quam incredibili varietati aptus esset sermo communis, quamque nihil fere sentiri aut cogitari posset, quod non verbis puris et ratione iunctis et iusta sententiae conformatione redderetur. Fuerint sane ante iam, quorum scripta usurpari possent, neque negari potest tum a veteribus poetis, tum a consuetudine quotidiani sermonis sumi debuisse materiam, ut ita dicam, linguae: sed quum prius, qui soluta oratione libros ederent, sermone uterentur curto et ieiuno, et pleraque incisim enunciarent, ut contenti essent si modo bis bina esse qua-

tuor dixissent, ante Thucydidem et Platonem et Isocratem vehementer dubito quemquam exstitisse qui suo exemplo ostenderet quam flexibilis ipse purus Atticus sermo esset, quibusque regulis et grammaticis et syntacticis si adstringeretur, in quam variam orationis copiosae et late fluentis speciem fingi et deduci posset. Igitur eamdem normam servarunt qui secuti sunt, quum suas vel actiones vel disputationes scripto consignarent, et viguit haec diligentia pure planeque loquendi per multos annos, donec post Aristotelis fere aetatem, nescio quo fastidio, aut qua socordia et licentia paulatim corrumperetur.

Romae diu fuit quum nulla subtilior cognitio et ratio literarum in puerili aut iuvenili disciplina traderetur. Qui scriberent, poetae erant, et pauci rerum et annalium et commentariorum scriptores, oratores, si veterem Catonem excipimus, pro ingenti numero aut nulli, aut perpauci, deque his valuisse credo, quod de Hortensio dicit Cicero, melius eum dixisse, quam scripsisse [4]. Quid igitur his defuit? Id, quod prudentissime explicat Cicero, quum dicit eos non laborasse ut meliores fierent, ad quam rem nihil magis proficere quam scriptionem [5]. Quae commendatio, qua libenter

---

[4]) Orator. § 132. [5]) Brut. § 92.

uti solet, et unde profectum est nobilissimum illud, stilum optimum esse dicendi magistrum, non magis pertinebat ad ea quibus potissimum ornatus orationis contineri creditur, et ad eam quae propria vis eloquentiae habetur, quam ad sermonis puri et elegantis facultatem, quae non nisi interiori literarum scientia nititur. Non enim utendum, inquit, pravissima consuetudinis regula, sed expurgandus sermo, et adhibenda, tamquam obrussa, ratio, quae mutari non potest [6]): eoque nomine prae reliquis laudat Caesarem, qui rationem adhibens consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendaret [7]). Longe plerique non illi quidem contemnebant illam virtutem, sed neque eius ulla disciplina proponebatur, et domesticum exercitationis laborem fugiebant. Non sane nihil futuro oratori ad dicendum proficiebant rhetorum scholae, tum omnis illa transmarina eruditio, quum paulatim crescere Romae coepisset et studium Graecarum literarum, et Graecorum doctorum auctoritas: sed quae sic importabantur, quamquam eo conferri oportebat, nihil tamen apud plerosque valebant ad sermonem Latinum elegantiorem, et copiosiorem, et pleniorem. Perpauci erant, literati qui dicebantur, quorum industria et omnis

---

6) Brut. §. 258. 7) Ibid. § 260.

contentio consumeretur in veteribus Latini sermonis originibus et monumentis investigandis, quorum illa fere aetate princeps fuerat primum Aelius, tum Varro. Ne aliarum quidem earumque gravissimarum rerum studia frigebant, vel philosophiae, vel iuris civilis: sed ex iis qui ad dicendum accedebant, Ciceronis certe aetate, quum hic hominum animos dicendi novitate ad se convertebat, nemo erat, qui videretur exquisitius, quam vulgus hominum, studuisse literis [8]). Sed illius novitatis, ut ipse appellat, nullum aliud fundamentum erat, praeter interius studium Latini sermonis, et assidua scribendi exercitatio. Hoc modo non tantum divitias orationis, quas ei in literarum commercio concedebat Serv. Sulpicius [9]), consequebatur, sed monstrabat quoque aliis quam idonea esset Latina lingua quae tum e nativis fontibus servatoque eius ingenio locupletaretur, tum facile modo brevitatis laudi satisfaceret, modo amplitudini et ubertati et longiori comprehensioni destinaretur, ita ut multiplices cogitandi formas orationis ipsius varietas et tamquam figura egregie imitaretur. Atque haec est illa novitas dicendi, quam non magis in actionibus, quam in aliis scribendi generibus attulit Cicero: et, si dubium non est plurimum debuisse

8) Brut. § 322. 9) ad Div. IV. 4. 1.

eum Graecorum studio exemplorum, e quibus Isocratem maxime admirabatur, et Platonem, et Demosthenem, horum virtutes numquam Romam transtulisset, nisi semper, ut ad filium scribit, cum Graecis Latina coniunxisset: itaque de omnibus voluminibus, quae permulta edidit, valere existimo id, quod, de Officiis scribens, vere magis quam inani gloriatione dicit, »nostra legens, de rebus ipsis »utere tuo iudicio; orationem autem Latinam profecto legendis no»stris efficies pleniorem" [10]).

Quaeri poterit fortasse utrum tam perfecti exempli auctoritas aliorum ingenia et industriam excitaverit, qui vel eadem aetate, vel postea ad scribendum se accingerent, in eaque exercitatione illam Tullianam ubertatem orationis et verborum elegantiam, et sententiarum ambitum et sonum studerent imitari, an simul cum ipso Romae quidem interierit totum istud artificium, quippe quod unius singulari ingenio et prudentissimo consilio deberetur. De eadem aetate aliquanto facilius responderi posset, si haberemus quae cum Ciceronis scriptis conferremus. Etenim, quamquam huius existimatione Caesar omnium fere oratorum Latine loquebatur elegantissime [11]), tamen eius Commentarii sunt illi quidem venusti

---

[10]) Offic. I. § 1. 2. [11]) Brut. § 252

et perfecte scripti, sed in illo genere scribendi una erat brevitas et diligens rerum tradendarum compositio quam sequeretur, quaeque deceret, ita ut locus nullus esset non tantum numero oratorio, sed ne copiae quidem et varietati, quam Cicero genuerat. Multo plures inventi sunt qui illas dotes Tullianas vel contemnerent, vel fastidiose reprehenderent, in quibus satis est unum indicare Asinium Pollionem, quem invidia nescio quae perduxit ut Caesaris quoque commentarios omnibus modis vellicaret, in Cicerone autem quae vitia orationis perstrinxerit [12]), magis operae pretium esset scire, si ipse aliquanto minus a nitore et iucunditate abfuisset, ut Quinctiliano adeo videretur seculo prior [13]. Et omnino complures fuisse constat, et qui praesentem incessere Ciceronem auderent, et qui in mortuum statim liberius invaderent [14]): de quorum iudiciis rationibusque, quamquam statuere nobis non conceditur, hoc tamen suspicari licet, minus pertinuisse illas castigationes ad sermonis Latini elegantiam et ubertatem, quam ad artificium oratorium et genus dicendi quo in causis uti consueverat.

Sed novam illam praestantiam sermonis quo minus alii postea

---

12) Quinctilian. XII. 1. 22.
13) X. 1. 113.
14) Ibid. XII. 10. 12 sq.

Romae aemularentur, aut etiam probarent, haud scio an obfuerit peculiaris ingeniorum indoles; quippe qui comtemnerent illam in re minuta, ut ipsis videbatur, sedulitatem et aliquanto molliorem quam virum principem deceret. Concedimus quidem ipsi Ciceroni [15]) ut glorietur, quum »ieiunas illius multiplicis et aequabi»liter in omnia genera fusae orationis aures civitatis accepisset, »primum se ad huius generis audiendi incredibilia studia conver»tisse:" sed tamen offendebant vestigia Graecae eruditionis, ex qua novitas illa orta videbatur. Et, quamquam assensum populi nemo quisquam orator fuit qui non spectaret, tamen neque tam teretes erant Romanorum aures, ut nihil nisi arte perfectum probarent, et vere dixit hoc ipse Cicero [16]), »vulgus a mediocri oratore dele»ctari, et, quum esse melius non sentiat, illud, quod sit, quale»cumque sit, probare." Hinc proclive aliis fuit continere se intra modestiores et magis curtos et circumscriptos fines sermonis eius, quo antea Romani usi erant: quodque paucis verbis Salustius enunciavit [17]), »optimum quemque facere quam dicere maluisse," aliquanto sane verius est, quam id, quod perpauci illis temporibus Ciceroni

---

15) Orator. § 106. 16) Brut. § 193.

17) Catilin. VIII. 5.

concessissent, »plus attulisse populo Romano dignitatis, qui non illustravisset modo, sed etiam genuisset in ea urbe dicendi copiam, quam illos qui Ligurum castella expugnavissent [18]."

Igitur exstincto illo concidisse quoque existimandum est studium Latinae orationis locupletandae lautiusque exornandae. Quotusquisque enim eorum, qui post ediderunt, vel minimam partem eius suavitatis et divitiarum, non dico assecutus, sed secutus est? Non loquor de Salustio, veteris Catonis imitatore, qui ubi luculentam a Cicerone in Senatu pronunciatam orationem commemorat, facit ita, ut artificii dignitatem tecte elevare videatur. Neque de Livii, nec de Cornelii Taciti laudibus quidquam detractum velim; concedo etiam esse, qui utriusvis scribendi genus Tullianae orationi anteponant. Superaverint reliquos omnes, qui ante rerum Romanarum scriptores extitissent: sed in utroque Atticam illam simplicitatem desidero, et leniter commodeque ingredientem orationem, modo latam, modo brevitate contractam, postremo lautissimam illam verborum supellectilem, unde sumerentur quibus singulis sententiis lumen quoddam et habitus tribui posset, quae cuncta aliquanto maioris momenti esse opinor, quam quae Thucydidi deerant, in quo, inquit

---

18) Brut. § 255.

19) Orator § 234.

Cicero, »orbem modo orationis desidero, ornamenta comparent [19]." Scilicet, post auream illam Latinarum literarum aetatem mature, qui quidem scribendo laudem quaererent, aut deseruisse castitatem sermonis eiusque ornandi nativa praesidia videntur, aut ne nosse quidem voluisse, et, pace dicam multorum qui Tacitum exosculantur, in hoc ipso iam vestigia deprehenduntur eius vitii, ex quo *κακόζηλοι* appellantur, quodque egregie notavit Graevius in Praefatione ad Florum.

Nihil quidem absolvi aut demonstravi, at satis, spero, explicui quo nomine in primis commendandum mihi esse videretur diligens studium sermonis Tulliani. Fac ea multis fortasse non displicere; tamen occurretur mihi a certis hominibus, qui requirent, quid tandem id ad nos pertineat, ad vitae actionem, et ad eum sermonem quo nostrum quisque domestico utitur, cuiusque usum praesentis aetatis ingenium regit, quique nulla cognatione iungitur cum eo populo, a cuius literis et eruditione et moribus et sensibus viginti propemodum seculorum intervallo disiuncti sumus. Quare hos libenter audiam, dicam paucis, antequam expedire coner id, quod officere commendationi meae videtur. Recte enim sentire eos existimo, nullius artis disciplinam magnopere expetendam esse, nisi quae et non ipsos meliores efficiat, cuiusque fructus redundent in

vitae officia melius et constantius et lautius tuenda. Conveniat porro inter nos, illud genus disciplinarum quaerendum esse, in quibus operae pretium sit, non dicam aetatem consumere, quod vix quisquam sine magno detrimento humanitatis faciat, sed quarum continuo vim et ubertatem sentiamus et agnoscamus, ita ut ipsae coalescant cum reliqua nostra eruditione, quae sine iis manca ac debilis sit, non ut, velut ex alieno mutuo sumtae, sine ullo incommodo omitti abiicique possint. Sed huius quaestionis tam late fines pertinent, ut nunc quidem concedi mibi sperem arctius aliquanto eam definire. Igitur continebo me intra illa praecepta orationis faciendae ornandaeque, quorum explicandorum causa potissimum suscepit Cicero Bruto respondere, quaerenti ex eo, quae esset optima species et quasi figura dicendi, et quale ei videretur illud, quod summum et perfectum iudicaret. Igitur reliquis absolutis, inde a § 140. Oratoris, novam ingreditur disputationem, de artificio dicendi, in qua de verborum collocatione, deque eorum sono et numero, in quo postremo concinnitas sit: tum pluribus persequitur orationis aptae et numerosae originem, et causam, et naturam, et usum: postremo agit de circuitu aut ambitu verborum, deque iis quae incisa, et quae membra appellantur. Tanta autem diligentia, prope dicam tanta ambitione singula exponuntur, ut putares eum

non Bruti tantum, sed omnino aequalium opinionem accurate refellere voluisse, qui totum istud artificium vel contemnerent, vel ignorarent, vel cognitum etiam obesse orationis dignitati iudicarent: etenim »videmus, inquit § 112, non te haec solum esse le»cturum; sed hunc librum etiamsi minus nostra commendatione, »tuo tamen nomine divulgari necesse est."

Omittam nunc ipsam illam controversiam quam disceptavit Cicero, nec nisi hoc sumo, non tantum in oratore, sed in quocumque genere vel dicendi vel scribendi aliquid interesse utrum quis et facta et structa oratione utatur, an hiulca et dissipata; quod qui non sentiunt, delectentur sane, nihil impedio, mirifica sua infantia, qua prudentissime cogitata obscurantur, si horride inculteque pronunciantur. Hoc nobis quaerendum est, utrum ex illa disciplina orationis faciendae, cuius quum in omnibus Tulliani ingenii monumentis luculentissimam auctoritatem habemus, tum in rhetoricis libris praecepta acute apteque explicantur, aliquantum proficere liceat ad nostrum sermonem excolendum, an vana sit ea spes propterea, quod e Latio et e tam remota aetate nihil huc transferri posse videatur, neque nostra civitate donari, et totum hoc relinquendum sit iis, qui hodie ipsi Latino sermone in scribendo uti audeant.

Duo sunt omnino quorum in ea quaestione ratio habenda sit. Nam et de genere eius virtutis, cuius quae particeps est oratio ab omnibus laudari solet, ambigi potest, tum de usu eius disputari, qui opportunus sit, et quatenus deceat. Igitur genus non opinione, aut pacto, aut nescio quo commento nixum, sed ab ipsa natura profectum eique commendatum est. Neque enim si fuerunt, et sunt, et erunt semper, quibus nihil non probetur et acceptum sit quod audiendo assequi possint, quippe nihil praeter id ipsum requirant, quoniam nihil dum audiverunt melius, cuius collatione illud iaceret, idcirco cultam orationem et structam non omnes naturali assensu amplectuntur; nisi forte pulcrum ipsum et honestum alienum esse a natura dicatur, si sint qui nihil cognoverint nisi turpia et deformia. Minus etiam hoc quisquam obtineat, quae ista arte perficiantur placere aliis posse, aliis improbari, itaque minus illam virtutem a natura, quam a consuetudine et voluntate repetendam esse. Quid enim? Si huic officio satisfactum est, ut oratio accommodetur et consilio eius qui dicat, et argumento quod tractet, et locis et temporibus et personis, quam immanem aut perversam hominum naturam fingemus, quibus hoc displiceat, quique hoc respuant? Magis dubitare licebit de iis praeceptis, quibus et collocatio verborum commendatur, et ut suavitatis in vocibus

ratio habeatur, et verborum delectus, eorumque compositio, tum formae quibus sententiae illustrantur, postremo concinnitas et numerus ipse orationis. Neque enim quod olim Romae fortasse, et certe Athenis studiose expetebatur et fastidiose adeo iudicabatur, idcirco idem a nobis postulari potest: ea maxime, in quibus aurium valet iudicium, moderanda videntur ad cuiusque gentis et coeli et regionis propriam indolem et eruditionem. In eo genere Romanis adeo alia placuisse quam Graecis, ipse commemorat Cicero Orat. § 152 sq. Sed, quamquam haud scio an concedendum sit a nostris hominibus non exspectandum esse id, quod Cicero de suis affirmat, quum dicit »in versu theatra tota exclamare, si fuerit una »syllaba aut brevior aut longior," (ibid. § 193), aut quum narrat, quantus clamor concionis excitatus esset dichoreo quo ambitus concluderetur (ibid. § 214), tamen in nostro quoque sermone quotidiano innumerabilia indicia sunt eius vel studii, vel voluntatis, ut aurium sensui morigeremur. Tum, si multorum aures tam inhumanae tamque agrestes sunt, nihil ut ipsi sensibus moveantur, non idcirco minus a natura ipsa istarum voluptatum iudicium auribus nostris insitum est, quod excoli et ut ita dicam erudiri profecto non posset, nisi naturae accommodatum esset, nec tanta in ipsa Graecia eius generis audiendi studia exstitissent, quum principes

Gorgias et Thrasymachus, posteaque Isocrates illius artis auctores prodiissent et inventores, si eam multitudo aspernata esset.

Extra controversiam igitur sit hoc, virtutem compositae et structae orationis, quippe a natura profectam, esse nobis expetendam, eaque praecepta sequenda, quae nostro sermoni apta sint: tum, ab eo, qui ingenio moveatur, hoc exspectari oportere, ut ipse conetur perficere id, quod superiores non nisi suspicati sint. Sed alterum, quod considerandum esse dicebam, quatenus deceat, magnas cautiones habet. Proclive enim est hoc obiicere illi commendationi, veteres ista praecipere solere maxime oratoribus, quos audientium corona exspectaret, qui sane docendi saepe essent, sed plerumque vel oblectandi, vel flectendi, itaque totum illud artificium, etiamsi laudabile ipsum, tamen eloquentiae in primis propositum esse, quae ab eloquendo et pronunciando appelletur, non cuivis scriptioni, quam prudentiae magis legentium, quam auribus consulere necesse sit, quaeque ideo facile omni genere suavitatis in vocibus, et concinnitatis, et numeri in sententiarum conformatione careat. Qui ita disputant, haud contemnendum, ut vere dicam, sententiae praesidium inveniunt in ipso Cicerone. Etenim videmus, quae ab eo exempla excitantur quibus praecepta sua illustrat, maxime in eodem libello, quem Oratorem inscripsit, sumi ex actionibus tantum,

vel aliorum, vel suis, de alio genere librorum nihil. Quid igitur? Nihilne pertinere ista dicemus ad eiusmodi orationem, qua quis in scribendo utatur vel docendi consilio, vel narrandi, vel ut quaevis iudicii decreta, quaevis ingenii inventa, quosvis animi sensus explicare conetur? Respondebit pro me Cicero ipse. Quantum intersit inter splendidissima Tullianae eloquentiae monumenta, Accusationis libros, verbi causa, aut Milonianam, et ea volumina quae philosophiae placitis explicandis diiudicandisque destinabantur, nemo non admonitus agnoscit: quippe in illis contentio orationis dominatur, in his non nisi sermonis quasi quaedam tranquillitas. Igitur egregie sensisse eum animadvertimus quid deceret; frustraque requirimus in aureis illis Officiorum libris vel figuras orationis et sententiarum, vel numerose finitas comprehensiones verborum, vel studiose quaesitam concinnitatem, quo genere ornamentorum metus erat ne vis ipsa argumentandi enervaretur. Sed demonstrandi non unum genus est. Nam, si Stoicorum more singula ratione concludimus, nihilque aliud spectamus nisi ut, quod mathematici solent, certis numeris ac figuris obtineamus id, quod efficere speremus, abiicienda sane est omnis cura struendae ornandaeque orationis: sin, eo non contenti, lautiori cursu et flumine et copia verborum sententiarumque aliquanto liberius uti aggredimur, ita ut sentiendi indulgeamus mo-

bilitati, neque intra arctiores disserendi fines et argumentorum puncta contineamur, danda erit opera ut et facili et suavi utamur sermone, in quo tum verborum delectu, tum apta collocatione tum incisorum et membrorum vicissitudine, tum iustarum comprehensionum varietate ita temperentur cuncta, ut tamquam sanguis per totum orationis corpus fusus esse videatur, eique et vitam et vires et sanitatis speciem quam commendatissimam conciliare. Et profecto, quidquid eo animo conscribitur, opus sit oportet suis numeris absolutum, cuius praestantia non tantum e singularum sententiarum vel acumine vel gravitate conficiatur, sed in primis in totius tamquam corporis specie et habitu et colore animadvertatur. Huic muneri nemo satisfacere poterit, nisi qui et sermonis divitias cognoverit, et orationis faciendae variandaeque sensum et artificium afferat, et, quantumvis elaboratis partibus, confecti operis speciem ad cogitatam aliquam normam exegerit. Omitto annalium confectionem, aut brevem placitorum expositionem, in quo genere hodie compendia et breviaria appellare solemus, aliaque in quibus, praeter perspicuitatem, brevitas maxime et postulatur et laudatur, quae etiamsi »laus est in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet" (Cic. Brut. § 50): ea intelligo, in quibus literarum, quae vere sic appellentur, dignitas desideratur,

quam ita tuebitur is, qui scribet, si cogitata vestiet oratione eleganti et decora, apta denique ad propositum, si modo decreverit operam dare, non ut rudibus et imperitis, sed ut eruditis et intelligentibus sua probet. Frustra sane hoc curriculum ingredietur is, quem praestantis vis ingenii deficiet, sed exercitationem una omnium maxime ars adiuvabit.

Non equidem contendo huius artis praecepta ex unius Ciceronis scriptis rhetoricis cognoscenda, aut colligenda esse e diligenti studio reliquorum voluminum Tullianorum, nec dubito quin de ea multi post eum, et nostra aetate praeclare meruerint: hoc dico, qui in illis praestantissimis excellentis ingenii monumentis cognoscendis interpretandisque studiose versetur, non in illo, quantumvis necessario, officio insistere oportere, sed observare qua arte celebrata illa laus orationis contineatur, operamque dare ut eius usum in suum sermonem transferat, si ad similem laudem aspirare cupiat. Esse novi qui hoc contemnant, non illi quidem ignari quantae dicendi virtutes in praestantissimo quoque veterum scriptorum cognoscendae nobis intuendaeque sint, sed qui malint veteres membranas, in quibus ista ad non pervenerunt, corrigere et vel a temporis iniuria, vel a librariorum et grammaticorum negligentia et stupore, aut intempestiva sedulitate vindicare, in eoque

studio aetatem consumere, quam experiri quid ipsi in eodem genere laudis assequi possint. Horum ego institutum et consilium tantum abest ut reprehendam, tamquam si non nisi desidiosam delectationem quaererent, ut propemodum desperem quemquam veros et solidos e studio veterum literarum fructus percepturum, qui non ab illa diligentia initium ducat laboris. Incredibile dictu est enim quantopere sic exerceatur ingenium et acuatur, ut minutiora omittam, in proprietate ac delectu verborum indagando, tum in sententiarum conformatione et conclusione quaerenda, in ceterisque omnibus examinandis quibus bene et suaviter et ornate dicendi laus constare censetur. Qui in hoc genere iudicandi excelluerunt, horum inventa admirabilem et prope divinam sagacitatem produnt, plurimumque illis studiis profuerunt. Nihilominus perversam rationem sequuntur, ut vere dicam quod sentio, qui nihil aliud agunt nisi talia quaerunt et tractant, nihilque eorum ad usum transferunt. Quod de virtute omni in Officiis dixit Cicero, eius »laudem omnem in actione consistere," idem recte dici existimo de eruditione et doctrina, cuius actio maximam partem in dicendo et scribendo cernitur: tantumque abest ut illud quaerendi et iudicandi munus per hanc exercitationem tollatur, ut multo magis doctrinam usus confirmet, et haud raro de aliorum scriptis

prudentius iudicent, qui ipsi vires ingenii in illa contentione periclitentur.

Haec habebam quibus commendarem diligentissimum studium eius orationis, qualem quum in aliis paucis Graecis Latinisque scriptoribus suspicimus, tum in Cicerone admiramur. Sed hanc diligentiam in illo studio adhiberi censeo, quae excludat omnem quasi superstitionem, neque rationem occumbere sinat auctoritati. Caput est in omni oratione, invenire quid deceat: cuius virtutis quamvis praeclarissima in veterum scriptis et exempla et praecepta usurpemus, eius tamen formam quamdam animo comprehensam intueri nos oportebit, ad quam ipsa illa exempla exigamus. Hoc qui non sequitur, etiam vitia ipsa stupebit et in virtutibus numerabit, et, ut uno exemplo defungar, scite venusteque lusisse Ciceronem putabit, quum dicit Epicurum »dum palato, quid sit optimum, iudi»cet, coeli palatum non suspexisse." (Nat. Deor. II. § 49).

Sed, quandoquidem eo nos perducit ipsa oratio, dicamus etiam aliquid de iudicandi libertate in corrigendis veterum monumentis servanda: quumque Ciceronis causa haec nostra disputatio suscepta sit, continebo me his finibus, quamquam haud multo dissimilia dici poterant de plerisque aliis scriptoribus, si latius vagari luberet. Quid esset, in quo a Madvigio, uno omnium, qui nostra aetate

sunt, praeclarissimo Ciceronis interprete, dissentirem, aliquoties in Scholicis Hypomnematis explicui. Singulari is acumine et sollertia tum singulorum verborum potestatem, tum necessarias componendarum sententiarum leges assecutus egregie hoc praesidio utitur in refingenda Tulliana oratione et vindicanda ab innumerabilibus nugis ac sordibus, quibus eam inquinatam in vetustissimis adeo membranis deprehendimus. Sed idem nimia religione illam colit auctoritatem, et extremum attigisse sibi videtur, si demonstravisset quid in archetypo, ut appellat, fuisse necesse esset, id est in eo codice, ex quo reliqui omnes, ut putat, fluxissent, quem vix antiquiorem seculo octavo fuisse credibile est. Non equidem contemnerem si qua fortuna nobis istiusmodi archetypum usurpandum concederet; sed quidni tum eius ipsius deinceps auctorem et parentem requireremus? quum praesertim constet fere in eo plurima vestigia negligentiae et ignorantiae deprehendenda esse. Verumtamen non tam illud quaerendum mihi videtur, sed, cognitis multiplicibus codicum turbis, minus divinandum, quam probabili ratione efficiendum quid in vero archetypo fuerit; quem si haberemus, saepe ab ipso Cicerone inculcatum et refectum, (conf. ad Att. XVI. 3, ubi suspicor Laelium intelligendum esse) fieri tamen potest ut non omni dubitatione liberaremur. Assentior igitur Mad-

vigio (Opusc. Acad. Alt. Praefat. p. vi.), »criticam intra certos fines Codicum vestigiis terminatos cohibendam esse;" sed hoc mea sententia caute explicandum est, neque usquequaque verum est. Quot interpolationes, quae omnes omnino Codices invasissent, ipse indicavit? Quoties perspicue demonstravit, in iis, quae ubique continuo legerentur, excidisse nonnulla? Hoccine est servare fines Codicum vestigiis terminatos? Nempe illa Codicum auctoritas, tam turbida, tam inquinata, tam saepe discors, nihil nobis praestat praeter materiam, ex qua ipsi verum, aut, si quis mavult, id quod vero proximum et simillimum est, fingamus, quamque spernamus quotiescumque vel sermonis leges, vel argumentationis necessariam seriem, vel scriptoris perpetuam consuetudinem et voluntatem, vel mentem eius et consilium manifesto violatum et corruptum deprehendamus. Facile est in huius studii praeceptis licentiam distinguere a libertate: ego tamen nullam agnosco libertatem, nisi cui liceat facere id, quod sana ratione commendetur. Hanc qui sequitur, (ut uno eoque facillimo exemplo defungar) non poterit sine offensione in II. de Divinatione § 121, secundum hodierna exempla, legere haec: *totas noctes somniamus, neque ulla est fere qua non dormiamus*: neque curabit Codicum vestigia, quae in omnibus plane eadem sunt, sed, nisi forte ipse dormitet, non admonitus corriget, ut verbis transpositis

legat, *totas noctes dormimus, neque ulla est fere qua non somniemus.* Sed novissimi editores, fortasse licentiae crimen fugientes, stultam in elaboratissima disputatione sententiam servarunt, et spreverunt id, quod iam ante tria ferme secula monuerat Muretus. Ne tam divino quidem ingenio opus erat, quo hoc inveniretur, sed animo ab omni superstitione vacuo, libereque rationis praescripta sequente. Utilia saepe et admirabilia nonnumquam proferri e diligentissima Codicum inter se collatione, ita ut ex ultima corruptelae propagatione adscenderetur ad ipsam mendi originem, itaque facilius verum quod esset appareret, non nego; sed ista contendo non mathematica demonstratione obtineri, et longe gravissimas partes investigandi esse rationis liberae, quae nisi praesto sit, in argutissima collatione merae tenebrae dominentur necesse est. Quod nisi concedetur, totum hoc institutum corrigendarum veterum membranarum non dico abiiciendum erit, sed sterile in primis erit habendum. Contra, hac una commendatione nititur, quod efficacissimam affert ingenii acuendi exercitationem, cogitandique recte non minus quam bene dicendi facultatem alit. Sive enim constantem et conspirantem Codicum auctoritatem deprehendimus, sive infinitam varietatem, nullis rationibus demonstrare licebit iure nos offendere, nisi quae oriantur ex penitus perspecta recti sermonis lege

4

et natura, tum, in sententiis earumque conformatione et coniunctione, ex intimo sensu eius quod dici vel necesse sit, vel oporteat, vel deceat. Quod si hoc omnino verum est, tamen longe plurimum valet in eorum scriptis tractandis, quos principes et auctores non magis bene dicendi, quam recte cogitandi habemus quos intueamur, sicut e Graecis Platonem et Demosthenem, e Latinis Ciceronem, quorum voluminibus continuo volvendis, investigandaque causa et natura tantae excellentiae, nulla inficimur pravitate, nullis ineptiis, nulla impudentia aut inscitia vel corrupti sermonis, vel vanae ambitiosaeque sententiae, contra imbuimur, si modo integri ad eorum tractationem accedimus, perpetua consuetudine eius quod decet, quodque rectum et venustum est.

Hoc institutum si tenemus, aspirare licebit ad illum multiplicis ac diuturni usus fructum, quo nomine Longinus τὴν τῶν λόγων κρίσιν appellavit. Etenim ita demum homo quid homine distet agnoscemus, quum paucos illos sic in orationis facultate elaboravisse animadverterimus, ut quam singulis natura ipsa ingenii tamquam personam tribuerit, eius perfectam formam ac speciem effecerint, a reliquis omnibus certissima nota diversam, alios sic in eodem genere laborare, ut prava plerumque sequentes, nec quidquam nativum domo afferentes, ne induere quidem ullam personam videan-

tur. Sed eodem praesidio, ut hoc quoque adiungam, muniti erimus adversus eos, quos hodiernus quidam Graecus, in celebrato illo crimine Simonideo, appellavit *μοιχοὺς τῶν μουσῶν*. Neque enim fieri potest quin, qui nativas in palmario quoque scriptore orationis laudes persecutus sit, totam eius indolem et quasi formam sentiendi paullatim ita perspiciat, ut ea facile dignoscat quae, quocumque demum vel consilio vel fraude vel arte supposita, nomen eius mentita sint. Non difficile est excellentis cuiusdam scriptoris supellectilem orationis expilare, indeque innumerabilia ornamenta domum asportare; nihilominus ista, quamvis astute composita, temere assumtae alienae personae vanitatem prodent, vacua et nuda ab illo tamquam spiritu sentiendi et inveniendi, quo uno verba ipsa vivere et vigere et nitere necesse est, et unde lucem accipiunt quae lumina et insignia orationis appellantur.

Ostenderem exemplo, quantum attineret Tullianae orationis ingenium penitus perspectum habere, si quaeratur utrum, quod eius nomine feratur, subditilium an genuinum sit, et delegeram nobilissimam Orationem pro Archia, quam fortasse nemo non a pueris inde admirari solitus esset. Sed ad hanc demonstrationem otio opus est, quo nunc non utor: itaque illud accusandi et arguendi munus relinquere malo familiaribus meis, in quibus erit,

spero atque confido, qui ita condemnet istum subornatum oratorem, ut, quod tamen Sulla in malo poeta fecisse narratur (Arch. § 25), ne ea quidem conditione, ne quid postea scribat, praemium ei tribuendum censeat. Igitur commodius mihi erat expromere nonnulla quae in Ciceronis aureolo libello, qui Orator ad M. Brutum inscribitur, animadvertenda et corrigenda viderentur. Secutus sum autem editionem Orellianam alteram, quae Orellii et Baiteri diligentiae debetur, non posthabitis quidem omnino quae aut modo, aut dudum ante ab aliis excogitata essent, sed tamen vitata illa turba et colluvione ineptissimarum lectionum quae e Codicibus excitantur. Propterea paucos tantum locos attingere visum est: nam si integram editionem suscepissem curandam, videbam fore ut in singulis fere versibus mihi haerendum esset, et de ordine verborum aliisque minutis rebus decertandum. Hunc commentandi modum spero ita me aliis probaturum, ut aliquanto plus laudis ex eo quod praestiterim, quam ex eo quod neglexerim reprehensionis, apud intelligentes iudices mihi oriatur.

Si causa quaeritur, cur, quum haud ita pridem tres illos De Oratore libros Cicero edidisset, peculiari volumine perfectum Oratorem informare susceperit, quum praesertim in illis *omnem antiquorum et Aristoteliam et Isocratiam rationem oratoriam complexus esset* (ad Div. I. 9. 23), maximeque in secundo et tertio libro nihil posuisset, nisi quod ipsi probaretur, non satis erit respondere susceptum opus esse ipsius Bruti rogatu, ut initio libelli et saepius praedicat, tum confirmat ad Atticum scribens [1]. Orietur enim hoc, quid Brutum impulerit, quum satis ei constaret de Ciceronis sententia ex admirabili illo dialogo, ut tamen ab eo requireret *quae esset optima species et quasi figura dicendi.* Nempe reliqua omnia ita explicantur in venustissimo libello, praeterquam quod nonnullorum perversum imitandi genus castigatur, ut dubitem quemquam

[1]) XIV. 20. 3: *quin etiam, quum ipsius precibus paene adductus scripsissem ad eum de optimo genere dicendi, non modo mihi, sed etiam tibi scripsit, sibi illud, quod mihi placeret, non probari.*

inveniri tum potuisse, cui ista non vehementer probarentur. Unum restabat novum, quam Bruto causam fuisse suspicor rogandi Ciceronis, ipsum *artificium dicendi*, cuius explicationem is in postremam disputationis partem reiecit; sed ita exornavit, ut eo demto summam illam oratoris laudem constare non posse contenderet. Declarat hoc statim ab initio [2]: *sed haec nisi collocata et quasi structa et nexa verbis ad eam laudem, quam volumus, aspirare non possunt.*

Magnopere se illo libro delectari haud semel declarat Cicero; neque tamen veretur profiteri se quasi occasionem quamdam et licentiam nactum scripsisse audacius [3]). Non ignoro quidem postremum istud referri oportere ad ipsius operis perficiendi difficultatem; sed hoc quoque multi laboris et singularis diligentiae erat, quae Graeci de vario et multiplici genere ac virtute dicendi scripsissent ita, ut incredibilis iis praesto esset copia sermonis admirabiliter exculti et in omnem partem subacti, eadem Latine persequi, verbis utentem quae nunc primum eo transferenda istique artificio et doctrinae accommodanda essent. Itaque subinde Graeca vocabula commemorare solet, eaque non uno, sed pluribus Latinis interpretari, sicut facit ubi σχημάτων, et περιόδου, ut complura alia taceam, mentio facienda est: fieri enim posse sentiebat, ut, quibus

2) § 140.

3) Conf. ad Div. VI. 18, 4. XII. 17. 2. XV. 20. 1.

ipse uteretur verbis, aut minus placerent, aut minus intelligerentur; conf. Fin. III. § 17 [4]). Quumque nemo ante ipsum haec patrio sermone tractare instituisset, novitatem solet quodammodo mollire et excusare audaciam. Igitur in Oratore § 204, — *quaesitum est, in totone circuitu illo orationis, quam Graeci περίοδον, nos tum ambitum tum circuitum tum comprehensionem aut continuationem aut circumscriptionem dicimus*, — necessario corrigendum *dicamus*, quoniam ipse primus haec verba commendat [5]): rursus, ne hoc deseramus, in Bruto § 162, *quin etiam comprehensio et ambitus ille verborum (si sic περίοδον appellari placet) erat apud illum contractus et brevis*, turpiter interpolatum est *si*, siquidem excusatio verbi eo continetur, quod sibi ita placere dicit, diversumque est quod aliquoties usurpat, *appellemus, si placet*, ut Fin. III. § 21: sed ibid § 35, *quam Stoici — ἡδονὴν appellant, ego malo laetitiam appellare:* cf. § 39: vindicanda autem est ea forma, qua utitur ibid. § 20. — *Officium (id enim appello καθῆκον)*, quum neque Davisio, neque Madvigio, qui *id* mutare in *ita* suadebant, praesto esset, ferri eam formam posse e Graecismo, in quo καλεῖν τινά τι quid sit, vulgo constat:

---

[4]) Conf. Fin. III. § 15. Memorabile est hoc ibid. § 51: *hinc est id exortum, quod Zeno προηγμένον, contraque quod ἀποπροηγμένον nominavit, quum uteretur in lingua copiosa factis tamen nominibus ac novis, quod nobis in hac inopi lingua non conceditur.* Add. ibid. § 55.

[5]) Sicut correxi in Tuscul., Schol. Hypomn. IV. p. 98. Orat. § 70.

quum praesertim apud illos quoque pronomen accommodetur obiecto, quod appellandum sit, sicuti in Platon. Rep. X. p. 596 C, τόνδε τίνα καλεῖς τὸν δημιουργόν; Itaque suspicor in III. De Oratore § 183. fin. corrigendum esse, *Eos autem appello non modo qui arguuntur.* —

Eadem novitas nonnumquam interpretibus obscuriorem reddidit orationis sententiam, quum praesertim in rebus diversissimis idem verbum usurparetur. Defungar uno exemplo. Quum enim §. 206 exstet, *Explicandum etiam est unde orta sit forma verborum*, duo viri docti, sicuti e Beieri annotatione intelligo, verbum *forma* de verborum origine acceperunt: quod merito improbans Beierus, (nam diceretur sic, *unde orta sit origo verborum*) »immo, inquit, pariter ut § 211 *haec forma* est *numerosa oratio.*" Non poterat magis errare. Nam, quod ex ipsa serie disputationis intelligere licet, agitur de illo artificio, quo verba in ambitum illum et comprehensionem aptantur, cuius auctoritas mox § 207. ab Isocrate et Theopompo repetitur: numerosae orationis originem iam ante explicuerat; itaque § 177. dixerat eam *inventam esse*: qua ratione autem fieret numerosa oratio, post aliquanto explicat. Rursus alia *forma* est, quam explicat § 134.

Aliquanto difficilius est per totum librum definire, quid tum in singulis verbis, tum in sententiarum compositione vere a Cicerone scriptum esse videatur. De librorum manuscriptorum diversa conditione, et quomodo factum sit ut alios integros, alios mutilatos habeamus, accurate

disputavit Orellius in Praefatione ad Oratorem, a. 1830 scripta. Ipsè nihil habui quod praeter illas copias consulerem. Itaque ex illo genere quum nihil novi, quod explorarem, mihi daretur, malui continere me intra illorum considerationem et interpretationem, quae a novissimis Editoribus probata constabat. Quod dum agebam, innumerabilibus locis offendebar vel vitiata perpetua Tulliani sermonis consuetudine, vel infracta argumentationis necessaria lege, ita ut necesse esset aliud reperire quo utrique consuleretur, minime tamen neglecta quamvis fallaci Codicum auctoritate. Sed parum abfuit ut consilium abiicerem, quum inciderem in hanc Orellii admonitionem ad Orat. § 148: »Beieri coniectura »ex eodem prorsus est genere, quales innumerabiles habemus Batavorum »inde fere a Nic. Heinsio, quibus nihil aliud fere opponi potest, nisi »Codices omnes notos iis adversari, ipsas autem coniecturas neutiquam »esse necessarias, quum perbona sit Codicum lectio; ceterum fieri pot»uisse, ut, si scriptor ante editum librum cum coniectoribus collocu»tus esset, ipse quoque in eorum sententiam concessisset. Hic tamen »consulto robustius ac vere Romanum verbum delegit Tullius." Libidinem coniectandi inanem ita in nostratibus notat Orellius, ut exteros omnes ista reprehensione eximere videatur, quos fortasse perpetuo admirabili quadam εὐστοχίᾳ usos esse existimabat. Aliquanto aequius iudicium exspectaveram minusque fastidiosum ab eo viro, cuius probitatem et humanitatem ipse expertus cognoveram. Sed mirari satis non pos-

5

sum, in commendanda Codicum lectione isto loco eam rationem ab eo praetervideri quae una rem conficiat, aliamque proferri quae aut vana sit, aut ne intelligi quidem possit. Nam quid, quaeso, est *verbum robustius*, quid *vere Romanum?* Novimus *durum verbum*, et *duram compositionem verborum;* sed ne hoc quidem ad *concidendi* verbum defendendum pertinebat: multoque minus tueri hoc potuisset Orellius, *conticere* verbum esse minus Romanum. Ego si Beierum reprehendere suscepissem, quum illam correctionem prodidisset ad II. Offic. § 3., ostendissem *conticere* et *conticescere* et *obmutescere* istis, quos indicavisset locis, recte poni in *literis*, et in ipso *studio* illo, quum nihil aliud esset significandum nisi opportunitatem librorum istius generis edendorum aut interruptam, aut sublatam fuisse, sed in *concidendi* verbo contineri gravem querelam eversae rei publicae, in qua, per unius dominatum, »non esset usquam consilio aut auctoritati locus" (Offic. II. § 2.). Quid igitur Cicero facturus fuisset, si, ut Orellius fingit, Beierum audire potuisset, nescio: sed certe aliud est *artes concidisse*, aliud *conticuisse*, potiusque persuasum mihi est in Bruto quoque § 22, legendum esse, *quum alia conciderunt, tum etiam — eloquentia obmutuit*, pro *ceciderunt*, quo infringitur sententiae vis.

Sed aliquando properemus ad singula quaedam, servato ordine, exploranda; in quibus si quid videbitur mutandum esse, non tamen recusabo virorum doctorum iudicia, si qui sint qui, ut Orellius loquitur, »perbo-

nam esse Codicum lectionem " defendant.

§ 3. *Quaeris igitur — quale mihi videatur illud* (*eloquentiae genus*), — *quod ego summum et perfectissimum iudicem.* Quum toties apud Ciceronem *summum et perfectum* iungantur, (*perfectum* ponit infra § 55, et 61. De Orat. II. § 33.) dubitare certe oportebat Editores de Ruhnkenii praecepto, in annotatione ad Iulium Rufinum (non ad Rutilium, sicut indicabat Orellius) p. 200, qui huius loci auctoritate superlativi formam, contra Pompeii Grammatici observationem, defendit, quique addere potuerat alterum exemplum infra § 47 (*doctissimum et perfectissimum quaerimus*). Utitur sane comparativo; sed ea plerumque non est nisi periphrasis ad vitandum superlativum, sicut § 8, *nihil in illo genere perfectius.* Sed ipse superlativus nusquam, nisi me vehementer memoria fallit, deprehenditur. Excluditur adeo illa forma eo ipso, quod Opt. Gen. Orat. § 4. de *optimo* dictum (*optimum quidem unum est*), ad *perfectum* transferri et potest et debet. Sed librarios, ex seculi quo vivebant corruptione, ingens invasit libido inferciendi, ubicumque possent, superlativi formas, tum adiectivorum, tum adverbiorum. Aliquoties hunc abusum notavi in aliis voluminibus Tullianis: conf. Schol. Hypomn. IV. p. 194. Nonnumquam ex adiecto verbo vitium scribendi explicari potest; sicut in hoc ipso libello § 210. *saepissime sumus*, ortum ex vero *saepe sumus:* nulla ratione, quae quidem sana sit, istic superlat. defendi potest. Eodem modo in Epp. ad Div. II. 15. 3. in uno Cod. *honestis-*

sime legitur, pro vero *honestum esse.* Eodem pertinet, quod toties *plurima* substitutum est vero *plura*: conf. Madvig. ad Fin. I. § 15.

§ 5. *Ut, quum summa miraremur, inferiora tamen probaremus.* Primum satis apertum est requiri praesens tempus in utroque verbo; si quidem non de ipsis illis opificibus, qui fuissent, sed de operibus eorum, quae exstarent, sermo est: nec dixit, § 8, Phidiae simulacra *videbamus*, sed *videmus.* Utitur sane perfecto, *vidimus*, Nat. Deor. III. § 59. init., sed rem notans, non artis opus commemorans: rursus *videmus*, ibid. § 63., in perpetuo religionis monumento. Praeterea non assentior iis, qui nullum discrimen esse putant, utrum *admirari* an *mirari* dicamus: conf. Drakenborch. ad Livium XXVI. 22. 14. In huiusmodi controversiis singularum aetatum, et singulorum adeo scriptorum inquirenda est consuetudo. Igitur, quamquam nihil reprehendimus in poetis, et, verbi causa, in Rutilio Lupo, ubi Hyperidis locum Latine vertit, II. 6, patienter ferimus si *vehementissime admirari* in turpissimo vitio ponit, contendimus a Cicerone servari solitum esse hoc, ut *mirari* dicatur fere cum improbatione: exempla tanto numero sunt, ut ea indicare non attineat. Subinde tamen, vel ex abusu, qui post invaluit, vel socordia eorum qui libros describerent, neglecta est praepositio in composito verbo; et quum *ammirari* pro *admirari* scribi soleret, facile intelligitur quomodo ex *summa ammiraremur* factum sit *summa miraremur.* Idem, eadem de causa, accidit § 104, *tantum abest, ut nostra miremur:* imo *admiremur:* tum

§ 42, *hunc miratur unum*, mutandum in *admiratur*, et § 23. *ut admirentur hunc maxime*, pro *mirentur*, et § 174, *qui Isocratem maxime mirantur*, revocandum ex v. l. *admirantur*. Contra Orat. III. § 195, *illud autem ne quis admiretur, quonam modo haec vulgus imperitorum in audiendo notet*, restituendum *miretur*. Valet idem discrimen in adiectivis, *mirabilis*, et *admirabilis*. Contra, in substantivo una tantum forma, ut mihi quidem videtur, servanda est, *admiratio*, quae recte et infra servatur, § 11, et in Laelio § 2, restituendaque ex v. l. in Divin. II. § 49. In Muraen. § 39, *quid tu admirere de multitudine indocta*, tum corrigendum *mirere*, tum interpretandum »quid tu mirere multitudinem ludis oblectari,« quod minus perspexisse videtur Madvigius ad Fin. p. 10. In Offic. II. § 30. corrigendum *nostra admirantium*: rursus ibid. § 56, legendum *miremur*: ad quem locum quum annotaret Beierus, complura exempla colligebat, nullo discrimine animadverso. Nam, v. c., Fin. quoque IV. § 61. legendum erat *mirati sumus*. Quid inter utrumque intersit, optime intelligitur in De Orat. II. § 59: *id mehercule admirans illud iam mirari desino, — hunc, quum haec nesciret, in dicendo posse tantum.* Sed ibid. § 12. reponendum *mirati*, sicut Orat. II. § 227, *illud quidem miror*. Eiusdemque consuetudinis ratio habenda erit Fin. I. § 4 et 16.

§ 9. *Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cuius ad cogitatam speciem imitando referuntur ea, quae sub oculos ipsa non cadunt; sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus*

quaerimus. Vult, nisi fallor, hoc, ut, quodcumque sensu, vel oculorum, vel aurium, in illo genere percipiamus, referamus ad illam cogitatam speciem, eaque tamquam norma aestimandi utamur. Et, quoniam apparet ita sermonem non esse de ipso artifice, dubitari primum non potest, quin istud *imitando* abiiciendum sit. Multo etiam minus ferendum est hoc, ut ad illam cogitatam speciem dicantur referri *ea quae sub oculos ipsa non cadunt*, quod tam absurdum est, ac si dixisset, ad illam speciem referri eas orationes quas non audiremus. Sub oculos non cadit illa species; contra, quae ex illa quasi imagines exprimuntur, cadunt sub oculos: eaque *ipsa* appellat Cicero, Platonis imitatione, qui distinguit inter *αὐτό*, et *αὐτά*, veluti in Phaedone p. 74 B. C. Manifestum est, delendam esse negationem ante *cadunt.* Infra § 101. speciem illam intelligens, appellat *illud ipsum*: aliisque verbis utrumque distinguit § 112. init.

§ 8. *Sed ego sic statuo* —. Qui attenderit ad ea quae praecedunt, concedet, spero, nullum esse hic locum adversativae coniunctioni *sed*, eamque mutandam esse in *et.* Qua opportunitate exempla expromere lubet, in quibus litera *s* vitiose vel iterata, (ut h. l. post *rarius*), vel neglecta sit. Sic § 188. — *versibus. Sed hi numeri*, — requiritur, *Et hi numeri.* Tum § 191 legendum esse *et* (non *sed*) *profectus ex optima disciplina*, alibi demonstravi. Nat. Deor. I. § 93, *Phaedro — nihil humanius, sed stomachabatur senex, si quid asperius dixeram:* repone *et.*

§ 14. *Ac video hanc primam ingresssionem meam non ex oratoriis disputationibus ductam, sed e media philosophia repetitam, et eam quidem quum* (sic melius Ern., quam ceteri *tum*) *antiquam, tum subobscuram.* Non tantum res ipsa, sed syntaxis, in qua *et ea quidem* refertur ad proxime antecedens substantivum, postulat ut corrigatur *et ea quidem — antiqua — subobscura.*

§ 15. Socrates in Phaedro dicit *hoc Periclem praestitisse ceteris oratoribus, quod is Anaxagorae physici fuerit auditor, a quo censet eum, quum alia praeclara quaedam didicisset, uberem et fecundum fuisse —.* Tolerantur haec ab omnibus Editoribus; quos tamen fugere non poterat *censere* dici tum, ubi vel *placitum,* vel consilium enunciatur facti suscipiendi aut officii imponendi. Putidum sit exempla proferre: sed interpolatum *censet* delendum est: reliqua suspensa sunt a verbo *dicit*, quod fuisse videntur qui non perspicerent. Aliis locis perperam inter se permutantur *censeo* et *sentio*: sicuti infra § 195. in praecepto, legendum est, *ego autem censeo*, non *sentio.* Contra, § 197, *qui audiunt, haec duo animadvertunt et iucunda sibi censent*, absurdum est, et corrigendum *sentiunt.* Et, quemadmodum istic *censet* interpolatum est, aliquanto saepius *putandi* verbo interposito, velut inutili fulcro sustinendam esse orationis constructionem censuisse videntur librarii, an grammatici. Sic Nat. Deor. I. § 2: *velut in hac quaestione, plerique — deos esse dixerunt, dubitare se Protagoras, nullos esse omnino Diagoras — et Theodorus — putaverunt.* Iam ipsa for-

ma huius enumerationis suadet ut abiiciatur *putaverunt.* Fin. I. § 30: *itaque negat opus esse ratione neque disputatione, quamobrem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit; sentiri hoc putat, ut calere ignem, — quorum nihil oportere exquisitis rationibus confirmari*, cet. Ne aptum quidem h. l. est *putat*, et Infinitivus continuativus est. Fin. V. § 77: *quae Theophrastus de fortuna, de dolore, de cruciatu corporis dixit, cum quibus coniungi beatam vitam nullo modo posse putavit, vereor, ne vera sint.* Interposito *putavit* obscuratur id, quod unum in his spectabatur, et ipsa vis sententiae ita demum exstat, si *non posse* claudit omnia, ut solet in eiusmodi demonstratione. Rursus Fin. II. § 16. init. intempestive intrusa sunt verba *qui censet*, ratione in primis habita mentionis, quae istorum modo ante, § 8, facta erat. Putidum est ostendere talia non tantum abesse posse, sed solere etiam omitti a Cicerone. Sic infra § 192. non scripsit, quum potuisset, *neutram temperatam putat:* neque § 193. semel iterumque isto fulcro indiget structura.

§ 16. *Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis suppeditat copiam, de vita, de officiis, de virtute, de moribus sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici aut intelligi posse?* Alii aliter, sed frustra, ut mihi videtur, expedire conati sunt syntaxin, quae sic restituatur: *quid dicam de natura rerum — copiam? de vita — de moribus quidquamne sine multa — intelligi potest?*

§ 18. *Itaque M. Antonius, cui vel primas eloquentiae patrum nostrorum*

tribuebat aetas, vir natura peracutus et prudens, in eo libro, quem unum reliquit cet. In his, ut verba *vir natura peracutus et prudens* insititia iudicem, duplici moveor ratione. Primum, idem propemodum, et suo loco, mox dicitur, *vir autem acerrimo ingenio.* Tum, et *peracutus* convenit magis Stoicorum demonstrationibus, neque *prudentiae* laus illi Antonii dicto satis recte tribuitur.

Ibid. Antonius *eloquentiae speciem cernebat animo, reapse non videbat.* Imo, *rem ipsam*, cui opponitur *forma rei et species:* cf. § 101.

§ 22. Quum tria omnino genera dicendi explicuisset, subiicit, *horum singulorum generum quicumque vim in singulis consecuti sunt, magnum in oratoribus nomen habuerunt.* Lamb. ediderat *vim singulis*, Ern. *vim [singulis]*. Sed abiiciendum potius est *singulorum.* Conf. De Orat. I. § 128. Tum, in iis quae statim sequuntur, *sed quaerendum est, satisne id quod volumus effecerint. Videmus enim fuisse quosdam, qui iidem ornate ac graviter, iidem versute et subtiliter dicerent*, turbatum esse mihi persuasum est. Ii profecto qui in uno tantum genere vim consecuti erant, non effecerunt id quod volebat Cicero; itaque de his *quaerendum* non erat. Porro mira huius rei quaerenda ratio redditur haec (*videmus enim* —), quod fuissent, qui iidem ornate, iidem subtiliter dicerent. Cum levissima mutatione transponantur haec in hunc modum: *videmus etiam fuisse quosdam — dicerent. Sed quaerendum est — effecerint.*

§. 23. *Monendi sunt ii, — qui aut dici se desiderant Atticos, aut ipsi*

Attice volunt dicere. — Nullo sensu h. l. pronomen *ipsi* ponitur, quasi non desiderarent quoque ipsi. Corrigendum est, *aut nisi Attice nolunt dicere.* Paullo infra dicitur, *quid enim sit Atticum, discant eloquentiamque ipsius viribus, non imbecillitate sua metiantur.* Orellius explicat *ipsius*, id esse, eloquentiae viribus. Sed *vis* tribui potest sane eloquentiae, non item *vires*, quae sunt oratoris. Itaque multo melius Einsid. *illius*, in quo Demosthenes intelligitur; et legendum erit, *ab hoc discant.*

§ 26. Miror in 2da Orelliana revocatam esse pravam lectionem hanc (de Demosthene pro Ctesiphonte), *post sensim incendens iudices, ut vidit ardentes.* —. In quo primum non animadversum est perperam segregari *ut vidit ardentes*, quoniam haec forma postularet, ut in eodem obiecto (*iudices*) continuaretur sequens oratio; itaque multo melius dici, *iudices ut vidit ardentes, in reliquis exsultavit.* Tum attendi oportebat gradatim ista enunciari, primum ut orator dicatur *summissus*, tum *pressus*, post *incedere*, i. e. erecto vultu et cum maiori fiducia loqui, postremo *exsultare:* in qua metaphora, simili in causa, De Orat. II. § 200 et 203, *consistere*, et *serpere occulte* dicuntur. Contrà, *incendere iudicem* recte dicitur De Orat. II. § 188. fin.

Ibid. De Aeschine, qui Demostheni dira verba exprobrat, *quin etiam quaerit ab ipso, quum quidem eum beluam appellet, utrum illa verba an portenta sint.* Nihil in his reprehendam, dum mihi quis explicet quid huc pertineat *quidem*, et sequens coniunctivus. Interea suadeo ut legatur, *quem adeo beluam appellat.*

§ 27. *Itaque se purgans iocatur Demosthenes; negat in eo positas esse fortunas Graeciae, hoc an illo verbo usus sit* —. Probandum supplementum ex Ambrosio. Sed peccatur perperam interpolato verbo *iocatur*. Non erat hoc *iocari*, et ipsum hoc alienum erat ab indole Demosthenis. Igitur una continuatione legatur, *itaque se purgans Demosthenes negat.*

§ 29. Quaeritur omnino quid sit Atticum. *Ornate vero et graviter et copiose dicere aut Atticorum sit, aut ne sit Aeschines neve Demosthenes Atticus.* Apparet requiri *aut Atticum sit.*

§ 30. Quo iure, qui *se Thucydideos esse profitentur*, dicantur esse *novum quoddam imperitorum et inauditum genus*, assequi non possum: nec facile mihi quis demonstret *imperitorum* genera censeri solere, quamquam supra § 23. appellatur *sermo imperitus* novorum Atticorum: sed *imperiti*, sicut infra § 209. et Nat. Deor. III. § 39. cum *vulgo* solent appellari. Substituendum puto, *oratorum.*

§ 32. *Quum praesertim fuisset honoratus et nobilis.* Miror Madvigio, viro acutissimo, eam huius loci probari interpretationem, ex qua propemodum dicam ridicula sententia affingatur Ciceroni. Nam in annot. ad Fin. II. § 25. p. 190. interpretatur sic: »nec Thucydidis, quamvis fuisset »honoratus et nobilis, nomen ad posteros exstaret, nisi historiam scri»psisset." Etenim, si nomen cuiuspiam exstare h. l. tum dicitur, quum eius ratio habetur in rhetorica disciplina, ita ut certi cuiusdam dicendi generis auctoritas ex eius scriptis petatur, interpretatio illa hoc efficiat,

ut dicatur, nihil rhetores e Thucydide excitaturos fuisse, si is nihil scriptum reliquisset. Putidum sane. Itaque teneo adhuc eam interpretationem, quam explicui Bibl. Crit. N. Vol. V. 1. p. 179, quamque amplexus est Orellius in fine Praefationis ad Oratorem (ed. a. 1830.) Minus, quam cui videatur, ab illa ratione discedit Baiterus in Onomast. Tull. III. p. 116, quem agnoscere primum video, ferri non posse ut *quum praesertim* sit pro *quamvis;* tum admittere hoc, ut in hoc libello nonnulla negligentius a Cicerone composita sint, spreto illo, quod ipse commendavisset De Orat. III. § 49, ut diceretur *non discerptis sententiis.* Aliquanto igitur planius dixisset, si, post interposita illa, instauravisset primam sententiam, *sed laudari solet ab omnibus, quum praesertim* —. Neque omnino sequor eam Madvigii rationem, quum l. c. formulam *quum praesertim* perpetuo explicat ut sit *quamvis.* Sed propter huius disputationis brevitatem nunc singula exempla perlustrare nolo. In ipso tamen illo Fin. loco sic versatur, ut ad oppugnandum fingat sibi interpretationem ineptam, quam nemo, quod sciam, prodiderit; ipse aliam excogitat, quam non facile quisquam probet, quasi *miserum* appellaret Gallonium Laelius, *quamvis* in lauta coena omne studium consumeret. Imo miserum eum appellabat, non tam propter coenam, sed *praesertim* quod in ea omne studium consumeret, i. e. quod ei hoc summum bonum esse videretur. Ecce! Philipp. II. § 6. eodem modo explicanda formula est, item De Orat. II. § 231. Quid denique dicendum de ipso Madvigio? Forte

incido in praestantissimi libri (Edit. de Fin) p. 745, in cuius ima parte sic utitur formula, *quum praesertim*, ut ipse maxime nolit commutare altera, quae est *quamvis*.

§ 33. *Referamus igitur nos ad eum, quem volumus, inchoandum et eadem eloquentia informandum, quam in nullo cognovit Antonius.* Dicitur hoc, tamquam si plura genera essent eloquentiae, quorum unum tantum cogitavisset Antonius. Sed agitur de illa specie, quae animo eius insidebat (§ 18), quae certe una erat. Ideo corrigo *ea eloquentia.*

§ 34. In Bruti, qui tunc Galliae provinciae praeerat, laudes excurrens, haec addit: *ergo omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio: in qua frueris ipse te, quum in Italiae luce cognosceris versarisque in optimorum civium vel flore vel robore.* Mirum quid de Bruto dicitur, qui, quum in Gallia esset, simul cognosceretur in Italiae luce. Suspicor Ciceronem scripsisse, *et tamquam in Italiae luce* cet.: nam et hoc, et *optimorum civium vel flos vel robur*, intelligendum videtur de Bruti cohorte.

§ 36. Difficillimum esse dicit formam optimi exponere, quod aliud aliis videtur optimum: in poetis varia esse iudicia, ut alius alio maxime delectetur: *nec facilis explicatio quae forma maxime excellat. In picturis alios horrida, inculta, abdita et opaca: contra alios nitida, laeta, collustrata delectant. Quid est, quo praescriptum aliquod aut formulam exprimas, quum in suo quodque genere praestet, et genera plura sint.* Postrema haec sic nunc dicuntur, ut iterari videatur id quod modo dixerat (*nec facilis*

expl. —). Necessario tamen de picturis sunt accipienda, idque melius intelligetur, si duabus literis iteratis sic legemus: *in picturis si alios — delectant, quid est — plura sint?* In prioribus tanto minus negligenda est Madvigii ratio (quam explicat ad Fin. IV. § 56. p. 570), qui eiicienda suadet verba *abdita et*, quandoquidem ipsum quoque illud *abdita* alienissimum est: postulatur scilicet in ista picturarum notatione enumeratio eorum, quae hodierno more positiva appellamus, quae cerni licet: sed *abditum* negativum est, nec usquam cerni potest.

§ 37. *Quoniam plura sunt orationum genera, — neque in unam formam cadunt omnia*, ideo addit, *laudationum* cet. *reliquarumque rerum formam — non complectar hoc tempore.* Sed omnium istarum non poterat una forma esse: igitur corrigendum *reliquarumque rerum formas.*

§ 42. De epidictico genere loquens, appellat *dulce orationis genus et solutum et effluens, sententiis argutum, verbis sonans.* Quam difficile sit diversas orationis formas et quasi characteres verbis explicare, non tantum inde intelligitur, quod de eodem genere plura dici solent, sed praeterea quod usurpantur maximam partem tralata; idque tam apud rhetores Graecos, quam apud Latinos deprehenditur. Talia explicare conatus est, ut suspicor, Ernestus, editis superiori seculo duobus Lexicis Technologiae Rhetoricae: qui si hunc locum attigisset (nunc enim libros istos inspicere non possum), non esset neglectus ab Editoribus. Quo tamen modo defendatur, ut oratio dicatur *effluere*, scire pervelim. Sed

et stolidum mihi istud esse videtur, et adversatur perpetuae Ciceronis consuetudini. Ecce! infra § 66. *in his tracta quaedam et fluens expetitur, non haec contorta et acris oratio.* Conf. Brut. § 274, multique alii loci, e quibus conficiendum *fluere orationem* in laude poni. Igitur h. l., quum perperam adhaesisset participio copula, legam *et fluens*, quod aliquanto confidentius commendare oportebat Orellium. Quod in vitio ponebatur, dicebatur *diffluere*, sicut infra § 233, *efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffluens ac solutum.* Contra § 220. corrigendum erit *diffluens*, ubi nunc editur, *alterum nisi fit, dissipata et inculta et fluens est oratio:* item in De Orat. III. § 190: *efficiendum est illud modo nobis, ne fluat oratio, ne vagetur:* — imo *ne diffluat.*

§ 44. *Invenire et iudicare — propria magis prudentiae quam eloquentiae: qua tamen in causa est vacua prudentia.* In his postremis, quae nullam sanam efficiunt sententiam, nihil adiuvant libri, manifesto corrupti. Si quis legendum coniiciat, *quae tamen cassa est vacua prudentia*, lubens assentiar.

Ibid. *Noverit igitur hic quidem orator, quem summum esse volumus, argumentorum et rationum locos.* Quare, contra libros omnes, verba *summum esse* eiicienda censeam, explicandum est. Sicuti nunc edi solet, hoc dicit Cicero, »postulo ut hic orator sit summus." Sic, in praecipiendo, utitur verbo *velle* § 20. 22. 114. 119. 120. 192. et aliis innumerabilibus locis. Nunc autem *hunc oratorem* ipsum *summum* intelligit,

nec praecipit ei ut *summus* sit: igitur nihil aliud scripsit nisi, *hic quidem orator, quem volumus.* Eodem modo (ne extra fines divagemur) loquitur aliquoties in hoc ipso libello: § 14, *sine philosophia non posse effici, quem quaerimus, eloquentem:* § 33, *referamus nos ad eum, quem volumus, inchoandum:* § 37, *est illa quasi nutrix eius oratoris, quem informare volumus:* in § 52, *non te id sciscitari qualem ego in inveniendo et in collocando summum esse oratorem vellem*, iterum, eadem de causa, delendum est *summum.* Iterum deleam *summo* in his § 114, *volo igitur huic summo omnem — loquendi rationem esse notam:* nam continuatur id, quod § 113 instituerat, *esse igitur perfecte eloquentis puto.* Sine ullo adiecto nomine sic dicit § 100, *tenemus igitur, Brute, quem quaerimus:* ut statim post, *inventus profecto est ille eloquens, quem numquam vidit Antonius*, tollendum sit *eloquens:* sicut § 137, *sic igitur dicet ille, quem expetimus.*

§ 45. *Quibus ut uti possit orator, a propriis personis et temporibus semper, si potest, avocat controversiam.* In hac praecipiendi forma, ut satis constat, requiritur futurum. Legendum, *si poterit, avocabit*, quemadmodum sunt futura § 47.

§ 49. Nondum expeditus hic locus est, in quo agitur de usu et delectu argumentorum, quibus oratorem uti oporteat. *Quorum*, inquit, (*locorum*) *ab oratoris iudicio delectus magnus adhibebitur. Quonam modo ille in bonis haerebit et habitabit suis? aut molliet dura* cet. Non enim hoc quaerendum erat, sed quo modo illorum locorum delectus esset in-

stituendus: huic respondetur una sententiae continuatione, inde ab *ille in bonis* usque ad *obstabit.* Sed ante haec excidisse nonnulla videntur. Idem praeceptum est Orat. II. § 292.

§ 50. In praeceptis collocandorum inventorum ponitur hoc: *infirmabit excludetque contraria.* Non est *excludere* huius loci, legendumque *eludetque.*

§ 51. *Scitum est enim, quod Carneades noster dicere solebat, Clitomachum eadem dicere, Charmadam autem eodem etiam modo dicere.* Ex iis, quae de h. l. scripsi Schol. Hypomn. II. p. 60. non nisi hoc mihi nunc probandum videtur, a Cicerone scribi non potuisse *Carneades noster.* In genere sane Academicos *nostros* appellare poterat; sed *nostrum* non nisi eum, quem ipse audivisset. Et hoc quidem loco, quum ad Brutum scribat, exspectabas eius Academici nomen, quem uterque audivisset: et fuit is *Antiochus*: conf. Fin. V. § 16 et 80. Alia ratione defenditur idem Fin. I. § 14.

§ 57. *Dicit plura etiam — clara fuisse.* Vehementer suspicor omnia haec interpolata esse a sciolo quodam et semidocto. Quis verbi causa *claram vocem* cuiquam obiiciat?

§ 58. *In quo illud etiam notandum mihi videtur ad studium persequendae suavitatis in vocibus. Ipsa enim natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem nec una plus nec a postrema syllabâ citra tertiam* cet. Nihil in his offendit: sed e vulgata interpun-

ctione suspicor Editores non perspexisse exquisitam sententiae enunciandae formam. Manifestum est enim, quum in principio *illud* non referatur ad antecedentia, postulari adiectum in sequentibus quo explicetur, sicuti supra § 34. *iam quantum illud est, quod in maximis occupationibus numquam intermittis studia doctrinae:* et innumerabilibus aliis locis. Verum h. l. explicatio pronominis continetur nova sententia, *ipsa enim natura* cet., pro quo exspectabas *quod ipsa natura* —. Itaque non erant haec maxima distinctione a superioribus segreganda. Sequitur in his sermo Latinus Graecorum morem, apud quos v. c. ponitur τεκμήριον δέ, sequente non ὅτι, sed nova sententia cum coni. γάρ. Exemplum huius rationis est Orat. II. § 133: *atque hic illud videndum est, (in quo summus — habet atque impolitum) constituunt enim — duo genera causarum:* in quibus neglexerunt Interpretes parenthesin animadvertere. Hunc Oratoris locum non neglexit in exemplis numerare istius rationis Madvigius Opusc. Academ. alt. p. 286, eandemque animadvertit in Fin. I. § 18. III. § 26.

§ 59. *Ergo ille princeps variabit et mutabit; omnes sonorum tum intendens tum remittens persequetur gradus idemque motu sic utetur, nihil ut supersit in gestu.* Oportebat sane haec sic distingui; — *persequetur gradus: idemque* —, quod non fugit Madvigium ad Fin. p. 476. Tum abiiciendum *in gestu*, quippe continetur iam *motu*. *Superesse* i. e. nimium esse: conf. Gellius N. A. I. 22. § 10. Pariter in Orat. II. § 233, *qui*

agunt in scena gestum spectante Roscio, abiiciendum esse apparet *gestum*.

§ 61. *Sed iam illius perfecti oratoris et summae eloquentiae species exprimenda est; quem hoc uno excellere, id est oratione, cetera in eo latere, indicat nomen ipsum.* Nomen ipsum erat *eloquentiae*, ut ex seqq. apparet: excellit igitur *eloquendo*: et ista, *id est oratione*, ut putidum emblema hinc tollendum est.

§ 65. *Sophistarum — magis distinguenda similitudo videtur, qui omnes eosdem volunt flores, quos adhibet orator in causis, persequi.* Noveram *florem* tribui orationi, *flores* ignorabam, quamquam alicubi est *flosculos carpere.* Praeterea non facile quis probet, quod dicitur *flores persequi*, aut *flores adhibere.* Tum offendit adiect. *omnes*, sive intelligas *omnes Sophistas*, sive *omnes eosdem flores.* Scripsisse coniicio Ciceronem, *qui orationis eosdem volunt lepores —;* quemadmodum infra § 96, *in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. Persequi* illo modo ponitur § 59. et 67.

Ibid. In eo genere orationis describendo, quo Sophistae uterentur, et alia ponit, et haec adiicit, *saepissimeque similiter extrema definiunt.* Intelligit ὁμοιοτέλευτα. Sed ista non *definiuntur*, verum *finiuntur.* Igitur infra § 164, *non solum componentur verba ratione, sed etiam finientur*: et § 170 *eos vituperant qui apta et finita pronunciant:* ideoque § 175 *similiter finita* legendum, pro eo quod e libris editur *definita.*

§ 67. Quaeritur quid sit, quo orator a poetarum eloquentia seiunctus

sit. Numero videbatur antea et versu: sed numerus iam apud oratores increbuit; et nonnullis Platonis et Democriti locutio, quod citatius fertur et clarissimis verborum luminibus utitur, potius poëma esse videtur, quam Comicorum poetarum, *apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis. Nec tamen id est poetae maximum, etsi est eo laudabilior, quod virtutes oratoris persequitur, quum versu sit adstrictior.* Frustra quaesivi qui mihi explicaret ea in quibus haerebam. Quorsum enim referendum *id?* et quid est *poetae maximum?* Ex iis, quae statim subiiciuntur (*Ego autem* —), quibus suum ipse iudicium de ea quaestione explicat Cicero, intelligitur superiora continere aliorum sententiam. Intelligerem melius, si legeretur *nec tamen id esse in poeta eximium, etsi sit eo laudabilior — persequatur, quum versu sit adstrictior.*

§ 73. Demonstravit oratori servandum esse decorum. Tum adiicit: *magnus est locus hic, Brute, — et magnum volumen aliud desiderat: sed ad id, quod agitur, illud satis: Quum hoc decere (quod semper usurpamus in omnibus dictis factis minimis maximis) quum hoc, inquam, decere dicimus, illud non decere, et id usquequaque, quantum sit, appareat, in alioque ponatur aliudque totum sit, utrum decere an oportere dicas; oportere enim perfectionem declarat officii, quo et semper utendum est et omnibus, decere quasi aptum esse consentaneumque tempori et personae; quod quum in factis saepissime tum in dictis valet —; contraque item dedecere; quod si poeta fugit —; si denique pictor ille vidit —; si denique histrio, quid de-*

ceat, quaerit, quid faciendum oratori putamus? sed quum hoc tantum sit, quid in causis earumque quasi membris faciat, orator viderit: illud quidem perspicuum est, non modo partes orationis, sed etiam causas totas alias alia forma dicendi esse tractandas. Hac ita secundum libros, ut videtur, edi solent, tamquam si id quod *satis* esset, contineretur iis quae sequuntur (*quum hoc decere — esse tractandas.*) Quod si voluisset Cicero, aliquanto brevius, neque oratione toties interrupta praeceptum suum exposuisset. Equidem *illud* referri puto ad ea quae modo dicta erant; si ad sequentia referretur, exspectares constructionem accusativi cum infinitivo, sicuti in fine huius loci (*illud perspicuum est — esse tractandas*). Continent igitur sequentia nihil aliud nisi iterationem eiusdem praecepti, quod supra posuerat § 71 (*est autem oratori videndum quid deceat —*), sed interspersam aliis quibusdam monitis et exemplis. Non possunt tamen ista ἀσυνδέτως superioribus subiici; et requiro huiusmodi initium: *quumque hoc decere.* Tum, omissis (sicuti recte ante, secundum Lambinum, fecerat Orellius,) verbis *dicimus illud non decere et id*, videmus instaurari protasin non ante, sed in his demum verbis, *sed quum hoc tantum sit*, apodosin esse hanc, *quid in causis — viderit.* Corrigendum praeterea *tum in factis*, et *videbit.*

§ 77. *Sunt enim quidam, ut scis, oratorii numeri (de quibus mox agemus) observandi ratione quadam.* Minutum videatur; sed tamen monendum necessario legendum esse *oratori.* Alterum ab Orellio defenditur ita, ut

dicat, eos numeros distingui a poeticis. Sed pronomine *quidam* distinctio illa iam continetur. Neque *oratorii numeri* plur. usquam dicitur, aut dici poterat, sed *oratorius numerus.* Minus etiam isti numeri oratori *observandi*, sed *servandi* sunt.

§ 79. Agit de genere orationis tenui et summisso et humili, in quo abstinendum sit ab omni insigni ornatu, reliqua sic tractentur, ut appareat quaedam negligentia diligens. *Unum aderit (quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus) ornatum illud, suave et affluens.* Deperditis Theophrasti libris difficile est haec vel confirmare, vel illustrare. Sed praeter exspectationem est *ornatum illud.* Versamur in definitione et praeceptis eius generis, quod Graeci rhetores ἰσχνὸν, Cicero *tenue* appellat. Quem ordinem in orationis generibus numerandis secutus sit Theophrastus, nunc ignoramus: sed quadripartitam distributionem videmus apud Demetrium π. ἑρμην. XXXVI. Vol. IX. p. 21. Walz., ubi hi enumerantur ἁπλοῖ χαρακτῆρες, ἰσχνὸς, μεγαλοπρεπής, γλαφυρὸς, δεινός. Si reliqua item, usque ad § 90 fin., sumta sunt a Theophrasto, apparet quam caute certa tantum ornandi genera isti characteri concedantur: ideoque fieri non potest, ut *ornatum illud* omnino huius oratoris proprium esse dixerit Theophrastus. Voluisse autem videtur τὸ ἠθικόν, de qua orationis virtute dixit infra § 128, aliisque verbis Orat. II. § 184. Hinc Longinus π. ὕ. XXXIV. 2, ubi de Hyperide loquitur, qui Lysiacas quoque χάριτας complexus esset, τό τε ἠθικὸν μετὰ γλυκύτητος ἡδὺ, λιτῶς

ἀφηδυνόμενον, et reliqua, quae simillima sunt eorum quae per totum hunc locum Cicero commendat. Id nunc Latine interpretari voluisse eum suspicor, et scripsisse *moratum illud*, quo adiectivo utitur eodem modo. Topic. § 97. Genus hoc est, quod aliis verbis descripserat Cicero Orat. II. § 184.

§ 80. *in alienis aut tralatum aut factum aliunde ut mutuo, aut factum ab ipso aut novum, aut priscum et inusitatum.* Codices contemnendi sunt ubi intolerabilia exhibent. Quare Lambinum sequor, ut legam *et sumptum aliunde* (*ductum* appellat Orat. III. § 161), et statim post probo *et novum.* Sic demum habebimus tria illa genera, quae et mox appellat § 81, et aliquanto post § 201.

§ 83. *adhibet* mutandum in *adhibebit.* Et in seqq., quoniam praeceptum ipsum initium ducit a verbis *a magnificentia*, legendum erit — *volet*, *et eliget.* Quoties in ea copula vel addenda, vel omittenda peccatum fuerit, longum est ostendere. Sed certe in Bruto § 237 legendum, *et saepe dicebat.*

§ 84. *immutatione literae quasi quaesitae venustatis.* Miror nemini offensioni fuisse ineptum *quasi*, quod ortum e seq. verbi initio abiiciendum est. Nulla hic mollienda translatio erat; de quo genere praecipitur Orat. III. § 165, et a Longino π. ὑ. XXXII. 3., ubi appellantur *μειλίγματα τῶν θρασειῶν μεταφορῶν.* Igitur mox § 89 recte nudum *quaesita* ponitur; quo loco praestabit legere *vitabit idem quaesita*, pro *etiam.*

§ 87. *sales — in dicendo nimium quantum valent.* Affirmant Editores *mirum quantum* non esse in libris, sed e coniectura editum esse. Sed eam correctionem verissimam iudico, eique cedere oportet ineptissimam Codd. lectionem.

§ 90. *hanc ego iudico formam summissi oratoris, sed magni tamen et germani Attici.* Legendum. — *formam summissi oratoris esse, magni tamen* —. Non enim abesse potest Infin. *esse* a *iudicandi* verbo, nisi praeter obiectum praedicatum quoque adiiciatur, sicuti supra § 3. et 52. Orat. II. § 222. Eadem de causa additur Infinitivus verbo *putandi*, in his De Orat. II. § 51: *Quanti oratoris — putas esse historiam scribere.* Nondum satis constitutus locus in Tulliana syntaxi: et, quemadmodum rectissime legitur De Orat. II. § 25, *qui vitam insuavem sine his studiis putaretis*, ita ibid. § 20. e verbis *vitam nullam esse ducamus*, abiiciendus est Infinitivus.

§ 93. *alio modo transtulit, quum dixit Ennius* ARCE ET URBE ORBA SUM, *alio modo si pro patria* ARCEM *dixisset; et* HORRIDAM AFRICAM TERRIBILI TREMERE TUMULTU *quum dicit, pro Afris immutat* AFRICAM. Inquinavit haec Grammatici cuiusdam sedulitas. Recte igitur Goellerus sensit abiicienda esse verba *si pro — dixisset:* sed omittantur quoque *pro Afr. imm. Afr.* Tum, initio, *dixit* mutandum in *dicit.* Iisdem nugis liberandus est elegans locus Orat. III. § 167, ubi hodieque servantur haec, *pro Afris sumta est Africa.*

§ 94. Aristoteles tralationi subiungit abusionem (κατάχρησιν), *ut quum* MINUTUM *dicimus animum pro* PARVO, *et abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet.* Sed non indigemus vel delectationis, vel venustatis excusatione, *si opus est:* neque umquam opus est. Igitur requiritur, *etiam si opus non est.*

§ 97. *huius eloquentiae.* In eiusmodi epanaphora omittendum substantivum.

§ 100. *inventus est ille eloquens, quem numquam vidit Antonius.* Ne dubitemus tollere *eloquens.* Certatim hoc Grammatici inculcasse videntur: et tum § 117, *erit igitur haec facultas in eo, quem volumus esse eloquentem*, abiicienda sunt duo postrema verba: (conf. ad § 44).

§ 101. *redeoque ad illam Platonis, de qua dixeram, rei formam et speciem.* Deprehendere mihi videor interpretamentum, quod ridicule textum invaserit, in verbis *de qua dixeram.* Voluit interpres indicare supra § 10 hoc expositum esse, et annotavit, suspicor, *de qua dixerat.* Cicero, si necesse iudicasset, dixisset *de qua dixi:* ut § 112. *quod iam ante diximus:* et § 125. Sed satis ei fuit *illam* dicere.

§ 106. *Atqui si Antonio Crassus eloquens visus non est aut sibi ipse —.* Inepta est h. l. coni. *aut.* Corrigendum *ut*, i. e. ut sibi ipse non visus est. Huius comparationis negantis exemplum est Nat. Deor. I, § 3. *sicut reliquae virtutes, ita pietas inesse non potest:* eamque illustravit Wyttenbachius. Aliud exemplum est De Oratore III. § 52.

§ 107. Eiiciatur molestum emblema *de supplicio parricidarum.*

Ibid. *ab hac indole iam illa matura.* Respondere oportet haec antecedentibus, *quantis illa clamoribus adolescentuli diximus:* adeo ut nunc corrigendum sit *maturi.* Scilicet *maturitas* aetatis est, nec nisi audacissima tralatione ad verba transfertur, adeo ut eam molliendam iudicaverit Cicero Brut. § 8 *quum ipsa oratio — haberet suam quamdam maturitatem:* conf. Quinctilianus XI. 1. 31.

§ 108. Si quando hunc libellum ita edere audebunt viri docti, ut eum ridiculis interpolationibus liberent, etiam sine Codicum auctoritate, me auctore, omittent verba *pro Roscio.* Quam temperata esset illa iuvenilis redundantia in orationibus *pro Avito, pro Cornelio* et in *compluribus aliis*, intelligi non poterat ex oratione pro Roscio.

§ 109. Vitiatur id quod voluit in his: *histriones eos vidimus, quibus nihil posset in suo genere esse praestantius, qui non solum in dissimillimis personis satisfaciebant, quum tamen in suis versarentur —.* Sed nil mirum erat eos satisfacere quum in suis personis versarentur! Corrigendum, *ut tamquam in suis versarentur:* quod Peter quoque maluit, ut ex Orellii edit. altera intelligo, ut pro *tamen* legeretur *tamquam.* Sed totius loci prava distinctione intelligentia obscuratur, in quo non attenderunt Editores bipartitam interrogationem contineri, quarum prior interpositis compluribus producatur, sed cui altera necessario subiiciatur (*an ego Homero concederem, ut — tu autem eodem modo omnes causas ages?*)

Nam, quum alterum hoc prius sic comprehendere instituisset, *ego non elaborem?* non absolvit, sed corrigit ipse se, ideoque coniunctione *autem* utitur post *te*, quam ceteroquin haec forma interrogandi excludit; neque audiendus Manutius, qui ediderat *tu aut.*

§ 113. *Attamen utrumque in disserendo est.* Corrigendum *ac tamen:* in quo consentientem habeo Madvigium ad Fin. p. 429.

§ 114. Quum modo dixisset oratori dialecticorum quoque scientiam assumendam esse (§ 113), subiicit, *volo igitur huic summo omnem, quae ad dicendum trahi possit, loquendi rationem esse notam.* Paulo ante dixerat, *non idem loqui esse, quod dicere; attamen utrumque in disserendo esse.* Quum igitur *dicere* sit oratoris et eloquentiae, *ad dicendum* nihil aliud erit, nisi *ad eloquentiam;* unde ridiculum nascitur praeceptum. Corrigendum est *ad disserendum tradi:* postremum verbum Ven. pr. habet.

§ 119. *Volo enim prius habeat orator rem, de qua dicat.* Putidum emblema, *orator*, eiiciendum est. Sic omittitur § 97, *tertius est ille amplus:* et § 134, *quibus sic abundabit:* et iterum eiiciatur § 81, *ergo ille tenuis* [*orator*], et § 125 *tum se latius fundet* [*orator*]: nam § 124 quoque *tenebitur* mutandum in *tenebit.*

Ibid. Difficile est probare hoc: *omnia profecto, quum se a coelestibus rebus referet ad humanas, excelsius magnificentiusque et dicet et sentiet.* Etenim ridiculum est oratori praecipere, ut *omnia* excelse dicat. Aliquanto

prudentius, ut puto, Cicero scripsit; *ne physicorum quidem esse ignarum volo omnino: profecto quum se —.*

§ 120. De libro Attici, quo res Romanas exposuerat: *qui conservatis notatisque temporibus — annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit.* Matthiaeus corrigebat *observatis*. Sed qui norunt quam innumerabilibus locis composita simplicibus substituta sint ab indoctis librariis, mecum corrigent *servatis*, quod unum convenit annalium scriptori: eodemque modo refingendus est locus De Orat. II. § 329.

§ 121. *Verba aut de ambiguo aut de contrario. Nam si quando aliud in sententia videtur esse, aliud in verbis, genus est quoddam ambigui, quod ex praeterito verbo fieri solet, in quo, quod est ambiguorum proprium, res duas significari videmus.* Huius sententiae negligentia et obscuritas nescio utrum Ciceroni an librariis tribuenda sit. Sed subiecta distributioni coniunctio *nam*, postulabat utriusque generis vel definitionem, vel exemplum: cui satisfactum erit hoc modo: *nam contrarium est si quando — verbis, tum genus est quoddam — solet —.* Conf. De Oratore II. § 111.

§ 125. *Sed erit duplex omnis eius ornatus ille admirabilis, propter quem ascendit in tantum honorem eloquentia.* In quibus offendam, explicabo, si forte aut meam suspicionem probem, aut aliis ad meliora invenienda prosim. *Ornatum illum* intelligere nequeo, quoniam nihil modo ante de ornatu dictum est, ubi hoc tantum praecipiebatur oratori,

ut orationem ad id, quodcumque deceret, accommodaret. Deinde, non ipse ornatus *admirabilis* dici potest, sed efficere ut oratio sit admirabilis, sicuti modo § 122, et mox *pars orationis* dicitur *laudabilis*, et § 128, *admirabilis eloquentia.* Tum, quum per se recte dicatur *ornatus duplex*, ut § 80. init., improbandum si dicatur *omnem ornatum esse duplicem*, i. e. quemvis. Quid praeterea hoc est, quod dicitur *eius duplex ornatus*, ut praecipiat quid faciendum sit oratori, non ut doctrinam explicet, in quo praesens tantum tempus usurpari poterit? § 80. 128. 185. cet. Hoc quoque ferendum vix est, quod dicitur *eius ornatus*, i. e. oratoris: solet enim ornatus vel orationi tribui, vel verbis et sententiis, et recte dicitur *ornatus dicendi* § 97, tum adiectivo ipse quoque *orator* dicitur *ornatus*, ut § 97. De Orat. III. §. 103. Portenti loco mihi postremum est, quum dicitur *eloquentia in tantum honorem ascendere propter illum ornatum.* Primum offendor ipsa hac locutione, cuius defendendae nusquam in Cicerone praesidium reperio: sed ipsa sententia minus opportuna est, post ea quae supra § 97. dicta erant, tum quod suo loco, § 128, explicantur ea quae *admirabilem eloquentiam faciant.*

Sed videamus an cum istis recte connectantur sequentia, *nam quum omnis pars orationis* cet. Quod ad sententiae formam attinet, post illa, *erit duplex ornatus*, exspectabatur ut statim duo illa genera ponerentur. Nunc contra videmus non expleri id, quod initio positum erat, sed novam sententiam incboari, et aliam statim distributionem subiici, quae

nullo modo attingat illum *duplicem ornatum*, (*luminosae — partes duae.*) Minus etiam apta sunt superioribus ea quae deinceps, usque ad § 127. fin. explicantur, quae agunt de amplificatione, deque communibus locis, deque utriusque facultatis usu.

Scilicet, quamquam ista et recte et prudenter disputantur, non tamen erant huius loci, si postulamus certam quamdam seriem demonstrandi servari. Qualis enim cursus, et quod iter est totius disputationis? Ut priora omittam, *perfecti oratoris speciem* exprimere aggressus erat § 61, eiusque orationem discreverat ab ea qua vel philosophi, vel sophistae, vel poetae uterentur, § 62—68. Tum quot officia essent oratoris, tot *genera dicandi* esse demonstraverat, § 69—74: quibus necessario subiunxerat cuiusque generis quae nota esset, descripseratque oratorem tenuem, et modicum, et amplum, § 75—99. Sed continuaverat haec postrema sic, ut obtineret eum demum perfectum esse oratorem, qui omnibus illis generibus, prout quaeque causa postularet, posset uti, § 100—112: tum demonstraverat ad facultatem fuse lateque dicendi accedere oportere dialecticorum scientiam, eorumque locorum qui in philosophia tractentur, reliquarumque rerum quarum scientia eum instructum esse oporteat, § 113—120. Porro postulat ut, qui ad causas veniat, earum genera cognita habeat, et attingit praeceptionem de locis argumentorum, § 121; quae ita continuantur § 122, *quum tam pauca sint genera causarum, etiam argumentorum praecepta pauca sunt.*

Traditi sunt, e quibus ea ducantur, duplices loci: uni e rebus ipsis, alteri assumpti. Tractatio igitur —. In his iure mihi videor offendere. Primum, fieri non potest ut nihil de illis *duplicibus locis* addiderit. Attigit eamdem distributionem Topic. §8., et latius persecutus erat De Orat. II. § 163 sqq.: h. l. discrimen, necessario fuit explicandum, etiamsi paucis defungi satis esse existimavisset. Et quid est illud, *tractatio igitur* —? Quomodo tam repentinus transitus excusandus est? In quo non negligendum est, coniunctionem *igitur* sic usurpari solere, vel ut quid consequens sit superioribus dicatur, vel ut post digressionem reditus significetur ad ea quae prius dici instituebantur. Sed neutrum h. l. valet. Nam neque ex illis duplicibus locis necessario conficitur vel ipsa tractatio, vel tractationis commendatio, neque quidquam in superioribus est, quod inchoatum nunc demum absolvi videatur, quemadmodum § 149, *collocabuntur igitur verba*, instauratur id, quod universe dici coeptum erat § 140. Nihilominus, post praecepta argumentorum recte agi de tractatione, discimus ex De Orat. II. §177. Sed, ut dicam quod sentio, ante illa, *tractatio igitur* —, complura excidisse suspicor, quibus fortasse et absolverit ista de argumentorum locis, et dixerit nihil neque his, neque aliis rhetoricae disciplinae praeceptis satis adiuvari oratorem, nisi omnibus istis scienter, et sic ut decet, uti, eaque orationis varietate tractare possit.

Hanc seriem disputandi et praecipiendi si probamus, quid, quaeso,

ad *tractationem* pertinent ea quae nunc sequuntur de *universi generis quaestione*, et de *amplificatione?* Multo aequius est ut suspicemur istis, quae in tractatione de variis sermonis generibus dicta erant, usque ad *ut causae natura et ratio temporis postulabit* § 125, statim subiecta fuisse § 128, *duo sunt quae bene tractata* cet. — § 133, quibus totus illi locus de tractatione absolvitur. Quid necessario sequi oportet? Ut orationis ipsius ornandae praecepta tradat, cuius disputationis extremum est de collocandis et struendis verbis et de numero oratorio. Hanc igitur inchoat § 134: *sed iam forma ipsa restat et χαρακτὴρ ille*, non oratoris (de quo supra dixerat), sed *orationis*, ut intelligendum est ex iis, quae modo antecedebant, § 133, *ea profecto oratio* —: in eamque disputationem confert lumina et ornamenta tum verborum, tum (§ 136) sententiarum: concluditque hunc locum § 139, *hoc in genere* (sc. ornamentorum quae a sententiarum conformatione petuntur, ut nihil fere enuncietur ἀσχημάτιστον) *omnis eluceat oportet eloquentiae magnitudo.* Nunc demum opportunum erat ut moneret genus istud ornandi, quamquam a nullo loco excludi, tamen in duabus orationis partibus praecipue sequendum esse: aptissimeque, ut mea opinio fert, subiicientur haec § 125, *nam quum omnis pars orationis esse debet laudabilis, tum sunt maxime luminosae et quasi actuosae partes duae* cet. usque ad § 127, *paene infinite in perorando.* Quibus absolutis recte pergit ad ea, quae § 140 sqq. explicantur de collocatione et structura orationis.

Haec si probantur, locus ille, cuius opportunitate haec disputavimus (§ 125), duobus emblematis erit liberandus, ita ut primum abiiciantur verba *sed erit duplex — eloquentia*, quae mihi quum inania, tum stolida esse videntur; tum omittatur illud, *sic ut verbum nullum nisi aut grave aut elegans excidat*, quae eadem multo melius suum locum tuentur § 134. In § 126 praeterea corrigendum *fusa esse debent*, et *excellent*, quoniam de utroque dici necesse est. Non succensebo viris doctis, si qui sint qui hanc suspicandi licentiam non ferendam esse putent, obiiciantque in hoc libello non omnia severe in ordinem esse cogenda, plurima adeo bis dici, quae concedenda esse scriptori tam studiose sententiam suam demonstranti. Nihilo magis premere volui quae mihi dubitandi rationes esse viderentur, lubens concessurus ei qui tollere easdem potuerit.

§ 128. *Duo sunt quae — faciant.* Mihi et hic postulari Indicativus videtur, et eodem modo § 165. 185 et 215: sicut Indicativus est § 20. init.

§ 129. *Sed magno semper usi impetu saepe adversarios de statu omni deiecimus.* Igitur nonnumquam non deiecit! Non puto hoc significare voluisse Ciceronem, et deleam *semper*, quod ne per se quidem in hac sententia ferendum est.

§ 130. *Quibus (miserationibus) eo sum usus pluribus, quod, etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant.* Et hoc vix

probandum, quoniam sic diceretur perorationem ei ab omnibus fuisse relictam etiam quum solus diceret. Tollendum igitur *etiam.*

§ 131. *Qua nos ita dolenter uti solemus, ut — tenuerimus.* Requiritur *solebamus.*

§ 132. *Sed, ut supra dixi, nulla me ingenii, sed magna vis animi inflammat, ut me ipse non teneam; nec umquam is, qui audiret, incenderetur, nisi ardens ad eum perveniret oratio.* Corrigendum sine constoversia, primum *inflammabat* et *tenerem*, sicut *supra* dixerat § 130, *non ingenio, sed dolore assequebar.* Reliqua perperam cum istis coniunguntur: redit ad generale praeceptum, scribendumque *audiet*, et *incendetur*, et *perveniet.*

§ 137. *Ut declinet a proposito deflectatque sententiam.* Neque omnino *sententia* huius loci est, neque probari potest *deflectere sententiam.* Sublato illo substantivo, e Cod. legendum *et deflectat*, repugnante licet Quinctiliani auctoritate IX. 1. 42. Alienissimo loco eadem, *ut a proposito declinet aliquantum* § 138. fin. reperiuntur, sed inde eiicienda, ne iusta series interrumpatur.

§ 141. *Si profitear —, quis tandem — reprehendet.* Non est mutandum hoc, cum Ernestio, in *reprehenderet*, sed in *reprehendat*, sicuti § 142 est *vituperetur.*

§ 144. *Nescio cur, quum docendo etiam aliquid aliquando possis meliores facere, cur nolis.* Codd. lectiones diligenter commemoravit Orellius, e

quibus optimi habent *melius.* Sed duplex *cur* defendi non potest exemplo Divin. I. § 131, quoniam istic multo plura interposita iterationem adeo commendabant. Sed prius *cur* h. l. vitiosa scriptura est, quam correxit librarius sequenti *quam.* Tum *aliquid* mutem in *aliquos*, et *aliquando* in *aliquanto.*

§ 145. *At ius profitentur ii etiam qui nesciunt.* Dicitur, tamquam si haec esset adversarii obiectio. Corrige, *et ius* —.

Statim post: *num igitur aut latere eloquentia potest, aut id, quod dissimulat, effugit* —? Sed nihil dissimulat eloquentia ipsa. Legendum, *aut is qui dissimulat* —.

§ 146. *Qui enim possem, quum et afuissem adolescens, et horum studiorum causa mare transissem, — dissimulare me didicisse?* Corrigendum esse *adfuissem*, et huius ipsius loci compositio docebat, et confirmabitur e Bruto § 304 sqq., coll. De Orat. II. § 365.

§ 147. *Est id omnino verum, sed proprie in hoc dicitur.* Fuerunt viri docti quibus ista suspecta essent. Si tamen a Cicerone sunt, corrigendum *nec proprie* —.

§ 150. *Nolo tam minuta haec constructio appareat; sed tamen stilus exercitatus efficiet facile hanc viam componendi.* Non sane praeclarum erat, si *viam efficiat.* Legendum *facilem.*

§ 151. Quum Isocrates et Theopompus hiulcas voces magnopere fugissent, *at non*, inquit, *Thucydides, ne ille quidem haud paulo maior scri-*

ptor Plato, nec solum in iis sermonibus, qui διάλογοι dicuntur, — sed in populari oratione, qua mos est Athenis laudari in concione eos, qui sint in proeliis interfecti. Hucusque recte, Menexenum intelligens. Sed quae adiiciuntur fidem omnem superant, et portenti instar sunt: *quae sic probata est, ut eam quotannis, ut scis, illo die recitari necesse sit.* Quis hoc umquam fando audivit? aut quis fieri potuisse credat? Taceo, quod *quotannis* in proeliis interfectos esse sumit: et quod certum diem (*illo die*) quo funus istud celebraretur ponit. Nisi forte quis suspicetur eiusmodi recitationem in Academia usurpari solitam fuisse ab eo qui scholam obtineret. Sunt ista reddenda annotatori satis ridiculo.

§ 155. A quibusdam, inquit, sero iam emendatur antiquitas, qui pro *deûm atque hominum fidem — deorum aiunt. Ita, credo, hoc illi nesciebant: an dabat hanc licentiam consuetudo?* Sic postremum edidit Orellius: antea, *ita credo. Hoc illi nesciebant?* In utraque forma obscurum est, quo pertineat *ita.* Sed *credo*, ubi ironiam indicat, non claudat sententiam, sed interponatur necesse est. Omisso *hoc*, legi velim, sine interrogandi signo, *id, credo, illi nesciebant.* Conf. § 160. Neque enim huc pertinent exempla quae indicavit Madvigius ad Fin. p. 754.

§ 159. *Quibus in verbis eae primae literae sunt, quae in s a p i e n t e atque f e l i c e, producte dicitur (i n), in ceteris omnibus breviter.* Quoniam *insapiens* non dicitur, secundum ea exempla quae praecedunt corrigendum erit *quae in s a n o.*

§ 160. *Quia per aurium iudicium semper licet.* Duorum Codd. exemplo ineptum illud *semper* omittendum, praeceptum ex sequentibus.

§ 162. *Aut enim negligenda fuit nobis voluptas eorum, quibus probari volebamus, aut ars eius conciliandae reperienda.* Facile obtinebo corrigendum esse *voluntas*, si contulero § 24 et 68, et persuasero *voluptatem conciliare* nullo modo probari posse.

§ 171. *Quod qui non possunt* (nempe, absolute concludere orationem), *non est iis satis non contemni, laudari etiam volunt. Ego autem illos ipsos laudo; idque merito, quorum se isti imitatores esse dicunt — hos vero minime —. Illos ipsos* probari non potest, quoniam neque ulla oppositio postulat *ipsos*, neque illos praeter ceteros laudabat. Corrigendum *ipse.*.

§ 173. *Quod si ita est*, (i. e. si illa praecepta nesciunt) *quia ipsi suis sensibus non moventur, nihilne eis inane videtur?* Nihil sane tale videri potest iis, qui suis sensibus non moventur. Igitur del. *quia*, ut primum quaeratur *ipsi suis sensibus non moventur?*

§ 174. *Visne igitur — totum hunc locum accuratius etiam explicemus quam illi ipsi, qui et haec et illa nobis tradiderunt?* Quorsum, quaeso, *et haec et illa?* Nihil tamen ipse accuratius explicaturus erat, praeter *haec*, id est, praecepta numerosae orationis. Nihil nos adiuvat altera lectio, *haec et alia:* quamquam recte in nonnullis libris prius *et* omittitur. Suspicor Ciceronem scripsisse, *qui haec olim nobis tradiderunt.*

Ibid. *Qui Isocratem maxime admirantur, hoc in eius summis laudibus*

ferunt —. Sola quae commemoratur varietas est, *in eum.* Sed corrigendum, *in eo:* quoniam recte dicitur *aliquid in aliquo laudibus summis ferre*, non item *in alicuius laudibus.*

§ 175. Thrasymachi dicitur *omnia nimis etiam exstare scripta numerose.* Vix dubito quin Cicero scripserit *structa numerose.*

§ 176. De Isocrate: *quin etiam se ipse tantum, quantum aetate procedebat, — relaxarat a nimia necessitate numerorum.* Dixisset, *relaxabat*, si, id quod paene ridiculum est, eadem progressio istius relaxationis, quae aetatis, fuisset. Multo melius erit *tum, quum aetate procedebat.*

§ 180. — *et quod ipsi, qui affirment esse eos numeros, rationem cur sint non queant reddere.* Primum obtemperandum fuit viris doctis, qui *eos* tolli voluerunt. Quorsum enim istud pronomen? Aliam suspicionem confirmavit mihi lectio Erl., qui habet *esse eos numeros in oratione, cur sint.* Nempe legendum videtur, *esse numeros in oratione, rationem cur sint* —. De extremis in hac § verbis, *et cur non aeque in oratione atque in versu numerus appareat*, dudum mihi notaveram, non videri haec ad praesentem quaestionem pertinere: nec muto sententiam.

§ 181. *Deinde, quod dicitur in oratione numerosum, id utrum numero solum efficiatur, an etiam vel compositione quadam vel genere verborum: an est suum cuique, ut numerus intervallis, compositio vocibus, genus ipsum verborum quasi quaedam forma et lumen orationis appareat.* Non iniuria in his haeserunt viri docti; sed non expediverunt syntaxin. Neque enim

genus verborum dici potest *apparere;* neque hoc *appareat* convenit illis, *numerus intervallis*, *compositio vocibus*, quae ipsa non intelliguntur, nisi satis audacter cogitetur additum *efficiatur.* Hinc suspicabar primum *in* excidisse ante *intervallis;* qua praepositione tum istic, tum ante *vocibus* restituta, extrema sic legenda esse, *in quadam quasi forma et lumine orationis appareat.*

§ 187. *Quod si et angusta quaedam atque concisa, et alia est collatata et diffusa oratio.* —. Necesse est ut sumamus duobus illis, quae in vitio ponerentur, duas virtutes opponi. Sed in his neutrum de his postremis satisfacit. Leg. *colligata* (quod in numeris dici intelligitur e § 168.) *et fusa* (quod in laude poni solere non opus est exemplis firmare: alterum in vitio dicitur.)

§ 190. *Hieronymus.* explicandum videtur ex odio Isocratis, quo Peripatetici ferebantur: itaque facile assentior Spengelio (qui hunc locum ante usurpaverat in Συναγ. τεχν. p. 152), quum Theophrasti nomen substituit Ephoro, apud Theonem Progymnasm. (Rhet. Gr. Vol. I. p. 170. Walz.)

§ 191. *Sequitur ergo* — Et compluribus aliis locis perperam e libris *ergo* edi, ubi *igitur* requireretur, viderunt viri docti; et ipsum hoc *igitur* h. l. falso ortum e praecedd. syllabis, non animadverterunt. Delendum est: Cf. § 75. 204. init. idemque pronunciandum videtur in Legg. I. § 55. init. et De Orat. II. § 41.

Ibid. *Ephorus autem — sed profectus.* Quomodo sit corrigendum, dixi in Scholic. Hypomn. III. p. 86.

Ibid. *Quod enim paean habeat tres breves, dactylus autem duas, brevitate et celeritate syllabarum labi putat verba proclivius, contraque accidere in spondeo et trochaeo; quod alter e longis constaret, alter e brevibus fieret, alteram nimis incitatam, alteram nimis tardam orationem, neutram temperatam.* Quae ista tarditas est, ut non receptum sit Ernestii *fieri?* Sed in descriptione trochaei requirimus hoc, ut legatur totus locus — *trochaeo, ideoque quod alter —, alter e longis et brevibus alternis, fieri alteram —*.

§ 192. *Quod longe Aristoteli videtur secus.* Tota disputatio arguit contrarium requiri, ut legendum sit *quod haud longe —*.

§ 195. *Ego autem sentio —*. Imo, *censeo*, ut alibi correxi. Contra, § 197, *iucunda sibi censent*, mutandum in *sentiunt.*

Ibid. *Quia nec numerosa —*. Abiiciendum *quia.*

Ibid. *Alterum nimis dissolutum —*. Ut in aliis, sic in hoc aliquoties peccatur, non servato discrimine inter simplex et compositum. Rectissime dicebatur § 135. *quum demtis coniunctionibus dissolute plura dicuntur:* nam oportebat ea copulis coniungi, et, quod unum et vinctum erat, sic dissolvebatur. Eodem modo § 232. *si — bene structam collocationem dissolvas*, et § 233. *quum sint ex aptis dissoluta.* Tum ipsum *dissolutum* per se in vitio ponitur § 198. Sed et h. l. corrigendum *nimis solutum*, et

§ 196 legendum, levi transpositione, *nec soluta tota*, *nec numerosa*, ut res ipsa postulat.

§ 196. *Sit igitur, ut supra dixi, (oratio) permixta et temperata numeris, nec dissoluta nec tota numerosa, paeane maxime, — sed reliquis etiam numeris — temperata.* — Priora modo correxi: sed frustra suspectum est viris doctis extremum, *temperata*: minus etiam Latinitati satisfacit, quod ex uno Cod. commendant, *comparata*. Agnoscendum erat illa, *permixta et temperata numeris*, alienissimo loco posita esse; neque hoc ante dixerat Cicero. Quibus abiectis, sanum erit *temperata*.

Ibid. *Demisso atque humili sermone.* Imo *remisso*. Illud de animo dicitur.

§ 198. *Sed omnis nec claudicans nec quasi fluctuans et aequaliter constanterque ingrediens numerosa habetur oratio.* Aptius, puto, erit. *sed aequaliter.*

§ 199. *Plerique enim censent cadere tantum numerose oportere terminarique sententiam. Est autem ut id maxime deceat, non id solum.* Inopportuna est repetitio pronom. *id*. Corrigendum, *non ut solum*. Eadem forma brevitatis est supra § 29: *errant quod solum: quod Attice. non falluntur.* Non agnovisse hoc videtur Madvigius Opusc. Acad. I. p. 484. not., qui *ut* concedentis esse dicit. Mihi videtur illa concedendi significatio in ipso verbo *est* inesse.

§ 201. *Nec in numeris magis quam in reliquis ornamentis orationis,*

eadem quum faciamus quae poetae, effugimus tamen in oratione poematis similitudinem. Praestabit, puto, *facimus.* Sed, quum vitio duae literae duplicatae sint, corrigendum est *fugimus*, i. e. vitamus. Conf. § 227. Sed ne reliqua quidem perspicuitati satisfaciunt: *est enim in utroque et materia et tractatio.* Hoc ne opus quidem erat monere; sed dicendum erat qua in re discrimen cerneretur. Igitur legendum suspicor *sua est enim* —.

§ 202. *Sed tamen haec nec nimis esse diversa neque ullo modo coniuncta intelligi licet.* Huius disiunctionis (*nec* — *neque*) difficile est rationem assequi. Praestabit ex ed. Romana assumere *non nimis.*

§ 207. *Ac licet non ad singulas res respondentem de universo tamen genere sic dicere, ut* —. Et hic suspicor per errorem iteratam esse syllabam, ut legendum sit *ad singula respondentem.*

§ 211. *Haec autem forma retinenda non diu est; nec dico in peroratione, quam ipsam inclulit, sed in orationis reliquis partibus.* Ern. *quam ipse:* alii *ipsa.* Orellius *ipsam* explicat, ut dicatur »quam (perorationem) »totam occupat atque terminat." Sed numquam isto modo *includere* dicitur. Legendum: *in quam ipsam includitur*, i. e. perorationi necessario debetur illud genus, illa forma dicendi. Sic *in formam includere* supra § 19 et 133.

§ 212 sq. Explicat dichoreum, *quum duo extremi chorei sunt, id est, e singulis longis et brevibus. Explanandum est enim, quod ab aliis iidem*

pedes aliis vocabulis nominantur. Dichoreus non est ille quidem sua sponte vitiosus in clausulis, sed —. Post illas ambages explicandi, exspectares ut, ad propositum rediens, dixisset *sed dichoreus*, aut *dichoreus igitur*. Nunc nudum illud *dichoreus* offendit. Non reticebo tamen, mihi totum istud, *explicandum* — *nominantur*, insititium videri. Fac *dichoreum* alio quoque nomine nominatum fuisse, de quo dubito; satis ad propositum erat id, quod modo dixerat, quibus ille syllabis constaret. Neque *explanandum* hoc erat, quod non nisi in re obscura dicitur, quam difficile est primum audientibus intelligere. Istis igitur abiectis, suspicor sic continuari oportere orationem, *qui non est ille quidem* —. Choreum iam appellaverat supra § 193.

§ 219. *His — si utemur, nec deprehendetur manifesto, quid a nobis de industria fiat, et occurretur satietati.* Minutum videatur, nec tamen negligendum, totum istud artificium de industria adhiberi; itaque corrigendum esse *quod.* Conf. De Orat. II. § 177 init.

§ 221. *Constat*, inquit, *ambitus e quatuor fere partibus, quae membra dicimus, ut et aures impleat et ne brevior sit quam satis sit neque longior. Quamquam utrumque nonnumquam, vel potius saepe accidit, ut aut citius insistendum sit aut longius procedendum, ne brevitas defraudasse aures videatur neve longitudo obtudisse.* Ridicule propemodum haec postrema adiiciuntur. Expleri aures dixerat ita, si ambitus quatuor membris constaret; sed nonnumquam necesse esse, ut ab ea norma discedatur, igi-

tur ut minus auribus consulatur: tum subiicit, fieri hoc *ne brevitas* —! Mutandus ordo est enunciationum, et illa postrema retrahenda, ut statim sequantur post illa *ne brevior sit — neque longior.*

§ 222. *Sin membratim volumus dicere, insistimus, idque* (l. *et*), *quum opus est, ab isto cursu invidioso facile nos et saepe diiungimus. Sed nihil tam debet esse numerosum, quam hoc quod minime apparet et valet plurimum.* Duo vitia tollenda in his sunt. Primum, quum h. l. non nisi genus ipsum commendet, quale *debeat* esse dicat demum § 223. fin. (*sed quae incisim — vel aptissime cadere debent*), manifestum est h. l. per errorem dici *debet esse.* Abiecto illo, corrigatur *est.* Alterum est, quod Coni. *sed* haec perperam diiungit a superioribus. Corrigatur *et.* Explicat quare nos facile diiungamus ab illo ambitu; nam, inquit, ipsum illud quod incisim et membratim dicimus, per se numerosum est, etiamsi minus apparet.

§ 223. *Sequitur non longa* —. Exciderunt verba Crassi, quibus illa comprehensio continebatur. Sed praeterea, paulo ante, quum dicit *deinde tertium*, hoc ipsum periit. Neque ista, *cur de perfugis — contra nos,* efficiunt illam comprehensionem, quam in *spondeos cadere* dicit, quum ista duobus creticis finiantur. Singula tamen apponere voluisse, intelligitur exemplo eorum, quae ex sua ipse oratione excitat § 223, *ut est apud me* cet.

§ 227. *Eique omnium dissimillimus — poematis simile.* Addi potest hic

locus iis, quos collegit Madvigius ad Fin. p. 632 sq.

§ 228. *Sic oratio nec plagam gravem facit.* — Sed non orationem cum athleta et gladiatore conferre voluit, verum oratorem. Ideo leg., *sic orator:* tum in seqq. requiro Coniunctivos *fuerit*, et *intelligat.*

§ 230. *Et hic quidem* (Coelius Antipater), *qui hanc a Laelio, ad quem scripsit, cui se purgat, veniam petit.* Quod suspicabar scriptum oportere, *scribit,* ut constans Ciceronis in talibus consuetudo postulat, video nunc confirmari auctoritate Einsied.

§ 231. *Etsi enim a forma veritatis — absunt.* Huius loci et exempli auctoritate adducor nunc ut meam correctionem in De Orat. II. § 95. (Schol. Hypomn. III. p. 141) repudiem: recte istic servatur *veritatis.*

§ 233. *Videsne, ut ordine verborum paulum commutato eisdem verbis, stante sententia, ad nihilum omnia recidant, quum sint ex aptis dissoluta.* Quum ex nonnullis libris afferretur *iisdem tamen verbis*, senserunt Editores istud *tamen* interpolatum esse. Quanto melius erat agnoscere totum istud, *eisdem verbis*, esse insititium. Scilicet ablativum illum respuit totius loci syntaxis. *Dicitur* aliquid, aut *scribitur iisdem verbis:* sed non *commutatur ordo verborum iisdem*, aut ullis, *verbis.* Rursus, *iisdem verbis* Latinum non est, pro *servatis iisdem verbis.*

§ 234. *Sed si quos magis delectant soluta, sequantur ea sane, modo sic, ut, si quis Phidiae clypeum dissolverit, collocationis universam speciem sustulerit, non singulorum operum venustatem.* Non apte haec coniunguntur:

nam *ut* necessario in exemplo ponitur, ut *quemadmodum:* neque, si finale est *ut*, dicere potuit *sequantur ea sic, ut speciem sustulerit.* Sensisse hoc videtur Meyerus qui coniecit, *modo sic, ut, qui Phidiae* —. Hoc modo tamen instituatur comparatio non nimis idonea; quoniam isti, *quos magis delectant soluta*, nihil sane ipsi dissolvunt. Hoc postulare poterat, ut etiam *soluta* ista per se laudabilia essent, quemadmodum in nobilissima adeo compositione fieret, ut, si dissolvatur, singulorum tamen venustas maneat. Suspicor post *modo sic* excidisse nonnulla in hanc certe sententiam, »ut singula lumine verborum et sententiae commendentur."

§ 235. *Aut scribant aliquid — aut reperiam ipsa eadem conditione qui uti velit* —. Raro feci, sed tamen hic iterum non possum quin commemorem, quod mihi necessario restituendum videbatur, in virorum doctorum annotatione deprehendisse confirmatum Codd. auctoritate. Nempe scribendum est *aut reperiam ipse.* Duorum illorum pronominum, *ipse idem*, coniunctio sine exemplo est, neque ulla ratione usquam defendi poterit. Tum auctore Ernestio recipiendum fuit *utra volet lingua.* Sed ne hoc quidem ferendum est, *ut aut dicat aut scribat:* in quo primum quaero, quid ad rem pertinebat ista, *dicere* et *scribere*, sic diiungere? Sed neutrum dici poterat sine accusativo obiecti. Itaque corrigam, *ut aliquid scribat.*

§ 236. *Eloquens — omnibus oportet ita rebus excellat, ut ei turpe sit quidquam aut spectari aut audiri libentius.* Qui e nonnullis libris com-

mendant *exspectari*, non attendunt tam actorem a Cicerone requiri, quam oratorem: conf. De Orat. I. § 18 et 130. II. § 34: nec fortasse meminerunt *exspectare*, et *exspectationem*, dici de assidua et attenta auditione, itaque illo verbo adscito induci quamdam tautologiam.

EPILOGUS.

Quum nuper Gellii Noctes Atticas relegerem, incidi in nobile fragmentum C. Gracchi, ex oratione qua is legem Aufeiam dissuaserat (XI. 10), cuius haec verba me advertebant: *omnes nos, qui verba facimus, aliquid petimus; neque ullius rei causa quisquam ad vos prodit, nisi ut aliquid auferat. Ego ipse* (reliqua, quae propria erant eius causae, omitto) *peto a vobis bonam existimationem atque honorem.* Atque illa nobilissimi oratoris professio tantum abest ut propria sit eorum, qui de rebus publicis verba ad populum faciant, ut eam sibi quoque vindicent qui procul a negotiis ea in vulgus edant, quae in quacumque arte aut disciplina excogitaverint. Nam, praeterquam quod assensum auferre student, petunt in primis bonam existimationem et honorem. Itaque, si complura in Ciceronis Oratore perperam edita et scripta circumferri notavi, et quo modo corrigenda essent disputavi, nisi de singulis mihi assentiatur, hanc tamen peto existimationem, nusquam me temere dubitasse, quaeque ipse commendarem non abhorrere vel a Tulliani sermonis consuetudine, vel ab ipsius ingenii et loquendi elegantia. Addere poteram, quo dubitandi

fiduciam defenderem, vel ex unius Gellii innumerabilibus locis constare altero iam seculo post Ciceronis mortem operam dedisse Grammaticos, ut ex veteribus et spectatae fidei libris ea corrigerent, quae tunc vulgo ferebantur exempla Tullianorum voluminum, maximeque requisivisse libros Tironianos. Quodsi vigentibus bonarum literarum et castigati sermonis studiis, tam crebro iam in vocabulis obliterata fuit Ciceronis ratio et consuetudo, quid miramur ulterius paullatim, sequentibus seculis, grassatam esse incuriam et levitatem librariorum, quum, ignorata et spreta nativi et antiqui sermonis castitate, ipsi doctores vetera monumenta explicare, si dis placet, discipulis suis conarentur, de rebus scilicet magis, quam de verbis solliciti. Hinc factum est ut multis partibus deformarentur pulcherrima opera, aut barbariei et ridiculi stuporis maculis inquinarentur, ne archetypi quidem Madvigiani ope, si quando reperiretur, eluendis. Igitur, quamquam *postremissimum* Graccho concedens (apud Gellium XV. 12. 3), *perfectissimum* Ciceroni auferendum censebam. quod in prima annotatione dixi, quamquam ea forma et postea Quinctilianus usus est, et fortasse aliorum quoque consuetudine probabatur. Sed quum propemodum omnes, qui Ciceronem vel summis laudibus efferre, vel reprehendere soliti sunt, unas eius literas forenses, ut ipse appellat, et actiones intueantur, haud certe minus nostra interesse existimo ut perspiciamus qua arte usus sit in illo modico et tenuiori genere disserendi et sententiae non dicendae sed demonstrandae. Nam,

quum illa admirabilis dicendi vis accommodaretur causis quae agerentur, et fori contentioni, et locis et temporibus et personis, ut nobis non nisi ancipitem imitationem relinquat, hoc tranquillum et pacatum disputandi genus cuiusvis est aetatis et humanitatis, in quo si eamdem formam ac speciem attingere ipsi studebimus, in experiundo constabit quo ingenio et quanta artis diligentia indigeat.

Quae hucusque exposui nihil habent, certo scio, reconditi neque exquisiti. Sed tamen deposco mihi iudices intelligentes istarumque rerum gnaros, pro clausula utens his anapaestis Aristophanicis,

εὐφημεῖν χρὴ κἀξίςαθαι τοῖς ἡμετέροισι χοροῖσιν
ὅστις ἄπειρος τοιῶνδε λόγων, ἢ γνώμη μὴ καθαρεύοι.